



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Regula Morum. Sive Dictamen Conscientiæ**

**Babenstuber, Ludwig  
Reichlin, Alphons  
Hepper, Johann Baptist**

**Salisburgi, 1697**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39970**





Th. 2146


G. IV

2





























REGULA MORUM.

*Sive*

DICTAMEN  
CONSCIENTIÆ.

*Quod*

In Alma & Archiepiscopali Uni-  
versitate Salisburgensi,

PRÆSIDE

P. LUDOVICO BABENSTUBER,  
Benedictino ad Beatiss. Virg. Ettalen-  
sem Professo, SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque in  
Moralibus Professore Ordinario, Celsiss. ac Reverendissimi

Principis & Archiepiscopi Salisburg. &c. &c.

Confiliario Ecclesiastico,

*Post absolutum SS. Theologiæ quadriennium publica  
Disputationi exposuerunt*

Multum RR. RR. & Doctissimi

P. ALPHONSUS REICHLIN,

F. JOAN. BAPTISTA HEPPER,

Eiusdem Ord. ex Celeberr. & Imperiali Monasterio Och-  
senhufano, SS. Canonum Studiosi.

*Die 6. Augusti, Anno 1697.*

---

SALISBURGI, Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Typographi  
Aulico-Academici.

*Collegii S. Petri Paderbornensis*



*Celsissimo & Reveren-*  
*disimo*

S. R. I. Principi

ac

DOMINO DOMINO

JOANNI  
ERNESTO

Ex Comitibus de Thun

Archi-Episcopo Salisburgensi, S. Sedis  
Apostolicæ Legato, Germaniæ Pri-  
mati, &c.

PRINCIPI

ac

DOMINO DOMINO

Clementissimo.



*Celsissime et Reverendissime*  
*Princeps, Domine Domine Cle-*  
*mentissime.*



UA est, Celsissime Princeps, quam  
Thesium nostrarum fronti incidi-  
mus, invicta, magnanima, & im-  
perterrita Conscientia. Enimve-  
rò antè Syracusanus Archimedes ex-  
tra Vniversum positus machinam mundi è suis  
cardinibus, quàm Te à recti tramite aut spes, aut  
metus divulserit. Humilium duntaxat mentium  
myricas concutiunt, aguntque in transversum illi  
gemini rerum humanarum turbines: ad gene-  
rosissimi verò animi Tui altitudinem non pertin-  
gunt; sed, velut procellæ subter æternam Olym-  
pæi cacuminis serenitatem, inferiùs tumultuan-  
tur. Nam æqua fronte utrique fortunæ occur-  
ris, prosperæ nihil indulgens, adversam nihil for-  
formi.



formidans; immò ambarum inconstantia pænè  
formidandus Ipse. Germanorum quondam le-  
gati, cùm à Macedone Alexandro, quidnam om-  
nium maximè metuerent? Rogarentur, id unum  
sibi esse sollicitudini, responderunt, *ne cælum ruat.*  
Liberum profectò, dignumque fortissima natione  
dictum. Verùm non est, quòd vel iste metus ca-  
dat in Tuum animum. Quid enim mens metu-  
at tam recti conscia, tam æqui tenax, tam pietate  
plena, tam religione fervida, quam in Te non mo-  
dò Tui cives suspiciunt, atque adorant, sed etiam  
exteri, apud quos nominis Tui fama latissimè in-  
sonuit, efferunt summis laudibus, admirantur-  
que?

*Si fractus illabatur Orbis,*

*Impavidam ferient Ruinæ.*

Mirum proinde videri nemini debet, nos in  
Academico circo pro aris & focis Conscientiæ de-  
pugnaturos Tua prensare auspicia. Quo enim  
auspice meliùs agetur causa Conscientiæ, quàm  
Optimo Principe, qui ejus jura & in semetipso, &  
in subjectorum moribus invicta magnanimitate  
propugnat? Neque ausi essemus pauca hæc folia  
Tuo Celsissimo Nomini inscribere, si non ille, cu-  
jus voluntas nobis vivendi regula est, Dominus  
Abbas



Abbas noster jussisset: cujus sanè imperii causas & plurimas habuit & maximas. Manent illius animò, æternúmque manebunt altè reposti summi favores, & Clementissimi affectus argumenta, quæ non ita pridem, cùm Archiepiscopalem Universitatem Tuam annua lustratione Præses inviseret, percepit. Neque unquam beatam prædicare desinet ejus muneris exantlatam trieteridem, intra quam unam adeò multa, & immortalia beneficia à Tua planè regia munificentia profluxerunt in Benedictinam familiam, ut neque nos, qui hodie vivimus; neque omnis nostra posteritas gratiis pro dignitate agendis, ne dicam referendis, unquam simus suffecturi. Illi namque sunt aurei anni, quibus non modò pauperibus atque ægrotis Musarum nostrarum alumnis condidisti insigne xenodochium, verùm etiam magnificentissimam basilicam, quam surgere jam cernimus, ingentibus sumptibus Academico Collegio moliri incepisti. Profectò Salisburgensis Universitas antea quidem de favorum Tuorum mari largissimè hausit: at illo triennio exundanti beneficentiæ Tuæ Oceano penitùs innatare didicit, hodièq; innatat. Patere igitur, Clementissime Princeps, hanc qualemcunque constitui à D. Præsule nostro



gratissimæ erga Te voluntatis suæ testificationem  
publicumq; devotissimi affectus monumentum;  
nec dedignare benevolentissimos illos intuitus,  
quibus omnes bonos exhilaras, etiam exilibus hi-  
sce paginis impertiri. Faxit DEUS Opt. Max. ut  
Te tanto Principe Orbi Christiano, Tuo Salisburgo,  
Nostróque sacro Ordini quàm diutissimè frui  
porrò liceat. Ita precamur tota animi, voto-  
rumque contentione


*Reverendissima Celsitudinis Tuæ*

Cientes infirmi

P. Alphonfus Reichlin,  
F. Joan. Baptista Hepper,  
Professi Ochsenhusani.



# Approbatio S. Facultatis Theologicae.

 tractatus Moralis de Conscientia contra bonos mores & Sacram fidem nihil tractat, nec contra rationis aut conscientiae dictamen quidquam dictat. Folia quoque, ex quibus conflatus est, non sunt sterilia, ut Philyra aut Tilia, sed uberrimorum fructuum feracia: dignissima proin, ut sine captione carpantur, studiosè legantur, & publicè discutiantur.

*Ita censeo*

P. CAROLUS SCHRENCKH, Ord.

S. Benedicti ex antiquissimo Monasterio  
S. Petri Salzburg. Professus, SS. Theologiae Do-  
ctor & Professor Ordinarius ac p.t. Decanus, Cel-  
sissimi ac Reverendissimi Principis & Archiepi-  
scopi Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus.



*Multum RR. RR. & Doctissimis  
DD. Defendentibus.*

**Q**uis novus insignes animis, & robore, & æstu  
Cogit in Arma furor,  
Et Castra *Bellonæ*, viros?

Tela, enses, galeas, clypeos, hastasque cruentas  
*Mulciber*, igne vora!

In vomeres fac transeant.

Nil ago: vos animis celebres ardetis in ausus;  
Arma viri, arma viri,

Vox una: *Marte* mens calet.

Monstrificus lævam gravat Umbo, longaque dextram

Hasta premit: scio jam:

Pullos *Minerva* nutrit hos.

Jam gladii ore micant; & acutæ plena ipharetra

Spicula mentis habet:

Spes devorat victoriam.

Pergite *Laurigeras*, generosi, pergite pugnas!

Figet ab Hoste redux

Trophæa uterque Gloriæ.

Vino olim rigidas ut *Martius Hannibal* alpes,

Frangite *Palladiô*

Globos *liquore* ferreos.

Sed quos, *Bellaces Animæ*! pugnat in hostes?

Dicite, *Mænia* quæ

Sedet tueri, *Milites*?

*Nil*



*Nil conscire sibi, nullâ pâllescere culpâ*  
 Murus aheneus est.  
 Hunc, dicitis, tuemur hîc.  
 Classica! bella foris; ridet *mens conscia recti*  
 Intus: et Alma rosis  
 Pax aureas cingit comas.  
 Mens at iniqua armis mox exitialibus hostem!  
 Desit ut ille, timet  
 Vel Pacis ipso in atrio.  
 Cor sceleris purum, velut Arx innixa suis stat  
 Rupibus; *Æolia*  
 Boantibûs circum minis.  
 State Viri! & pulchro hæc animi replete triumpho  
 Mœnia: próque *Bona*  
 Pugnatè *Conscientia*.

*Ita ex sincero affectu amicè accinnus*

P. Placidus Seiz, }  
 P. Carolus Bader } Professi  
 F. Nicolaus Schüz } Ettalenses.

---

*Eisdem.*

**A** Rma virumque canit Mavors, Gentesque feroce  
 Bellonâ incensæ tela cruenta parant:  
 Pax prima ante alios propulsa ex æde paterna  
 Abscondit faciem, pressâque Marte gemit.  
 Huic comes it Sincera Fides, & Crine soluto

)(

Justi-



Justitiã, æ miseræ fortis iniquã dolet ;  
Quis tandem, Superi! finis? stygias quis ad aras  
Seditiosa feret tela, furénsque malum?  
Vos quoque, quos Numen Sacræ pro munere pacis  
Placare expediat, bella ciere juvat?  
Abdita quin etiam vestris perstringere telis  
Antra lubet, quæ *mens Conscia* multa fovet!  
Sed benè: Quàm felix bellum, quo *Monstra* fugantur  
Errorum, ac *Menti* Pacis oliva viret.  
Pergite Magnanimi fausto producere gressu  
Prælia, & Amissam sic revocare Fidem.  
Pax finis belli: velut & Concordia mæstos  
Exanimésque novâ fronte serena beat.  
Gratam sic vobis revehet *Victoria* Palmam,  
*Mentis* tranquillos ac sine nube dies.

*Ita fraterno affectu accinuit*

F. Meinradus Hager,  
Prof. Ochsenh. I.V.S.

*Eisdem.*

Felix, quæ dubiis Navis subducitur undis,  
Velis & plenis litora tuta subit.  
Æstas quarta fluit, falcemque minatur aristis,  
Quâ per *Sacratum* vos mare vela datis.  
Per mare ducta Ratis, cui tot *Mysteria* sacra  
Altum immersa latent, quot rotat astra Polus.

Enatat



Enatat inde Ratis, donis & dives opimis  
Gaudet, quæ sacro parta fuere mari.  
Dum modò se ripæ magno dat fœnore Navis,  
Laudis ibi majus fœnore fœnus erit:  
Divite nam censu relegunt ubi litora Nautæ,  
Partæ vox laudis læta celeusma canit.

*Ita in specialis amoris honorisque tesseram  
applausere.*

F. CONRADUS EDEL.  
F. WILIBALDUS KOBOLT.  
F. PANTALEON GAU.  
F. RAPHAEL WAIBL.  
Professi Weingartenses, SS. Theolog.  
& SS. Canon Stud. p. t. Convictores.

---

*Eisdem.*

**D**esueta inertem tendere barbata  
Thalia vatem jam doce, & arduos  
Cirrhæ recessus; nec profano  
Exstimula mihi pectus igne.

Sed quò citato pectoris impetu  
Me, musa, tolles immemor Icarî?  
Depone, & elato dolosos  
Ex animo mihi deme fastus.

Cantare tantum quid decus impare  
Prætendis ausu? vix celebret fatis,  
Justumque sustollat canendo  
Pindaricis chelys ic̄ta nervis,

En



En, Martiali laudis adorea  
Haud imperito se geminus pede  
Athleta ficit, mactè amicas  
Non dubius sibi ferre palmas.

Quò concitatus vos rapit entheæ  
Virtutis ardor sub Pedibus pigras  
Terras relicturus, polos jam &  
Æthereos subiturus axes ?

Jam jamque sacro mens generosior  
Fastidiosæ concita tædio  
Terræ, alta perscrutatur; ipsa  
Astra super-volitare gestit :

Jamque altiori nobilis ingenî  
Indagine ipsum trans liquidas Deum  
Nubes adire, altisque plenum  
Consiliis penetrare Cordis.

Sic puriori flamine spiritûs,  
Et pura multo numine pectora  
Accensus Augustinus, olim  
Mente DEO propiore dixit.

Sic & beatis plurimus ignibus  
Thomas sagacis curribus ingenî  
Vectus, DEUM, & virtute tantum  
Angelicâ penetranda vidit.

Hos



Hos æmulati pergite, pergite  
Cæptum decoro laudis iter gradu,  
Et arguentûm alto volatu  
Ingenii superate nubes.

Jam læta lauros gloria providet  
Palmásque, veris perpetuum decus,  
Quas inclyto vobis labore  
Pervigiles peperêre lunæ.

Ite, & sequaci pectore fervidi  
Trophæa magnæ sumite gloriæ,  
Ad quæ profundi veri amator  
Angelico vocat ore Aquinas.

*Ita honoris & amoris ergò accinit*

F. PLACIDUS RUEDORFFER,

O. S. B. prof. in Seon. SS. Theolog. Stu-  
diosus, p. t. Convictor.

---

*Eisdem.*

**Q**uò vos? num frondosa novæ lustrare Dianæ  
Moenala fert animus?

Quæ monstra collocabitis?

Certè hastam, nova tela, plagas, venabula cerno;

Grata pericla juvant:

In bestias pectus calet.

Scilicet Humani (prô! quàm stabula alta ferarum!)

Nigra latebra sinûs

Nutrit Leones, Tigrides.

Hoc,



Hoc, Docti Triviæ comites, penetrare sub antrum,  
Hæc viduare feris  
Spelæa poscit Hercules.  
Post cordis carecta canes, & amica luto sus  
Prælia sæpè gerunt :  
Hic grunniunt Elpenores.  
Non rarò *Lepus* hîc turpi formidine vagit ;  
Hic vaga vota canum :  
Dolus cavernâ gannit hâc.  
Hic levat IRA jubas, surgitque in cornua cervi  
Mens, animûsque tumens,  
Latratque Desperatio.  
Huc melli insidians vetito ruit ursa voluptas ;  
Sævi ululântque fame  
Auri sacrâ Lycaones.  
Bellua quin Viridem mentis denso agmine passim  
Depopulatur agrum.  
Venamini vos strenuè!  
Ite, novi Alcides, doctâque docete nocentes  
Perdere strage feras,  
Famâ canendâ Posteris.  
Sic claros studiis venatur uterque triumphos.  
Gratulor hanc igitur  
Venationem, gratulor.

*Honoris ergò accinuerunt*

F. VENANTIUS SCHMID.

F. HERMENEGILDUS SIGNER.

Ord. S. Spiritûs de Româ in Saxiâ Mem-  
mingæ professi, Philosophiæ Studio.



# LECTORI.



Uidquid in homine laudem meretur, aut vituperium, totum ferè situm in moribus est. Mores, si recti, bonum, si pravi, malum efficiunt. Cætera, quæ nobis seu fortunæ indulgentia, seu laboris improbi solertia circumdat, sunt crepera ut plurimum parerga vanitatis, quibus & citra noxam carere possumus, & citra commendationem frui solemus. Negari proinde à nemine potest, præclarè de genere humano meritos esse, quotquot hætenùs eam Theologiæ partem, quæ ad mores pertinet, lucubrationibus, & commentationibus suis excolendam sumpserunt. Nihil enim ad vitæ Christianæ officia utilius, magisque necessarium istâ scientiâ cogitari, dicique potest. Hæc quippe est optima honestatis pædagogica, solertissimâque rectè & beatè vivendi magistra. Quid enim vel ipsa Divinorum Speculatrix Sapientia, vel aliæ Facultates profunt ad æternam felicitatem consequendam seque, aliósque dirigenti, si practica imprudentia quotidie cæspitat, atque à vera honesti semita deviat? id verò absque Morali Theologia tam fieri pronum est, quàm euntem sine luce per Cimmerias tenebras viâ, si vel Argus sit, aberrare necesse est. Hujus jam præstantissimæ doctrinæ basim, atque præcipuum fundamentum,

A

tum,

R.



cum, dum tractationem de Conscientia suscipimus, superis benè faventibus, jacere decrevimus, opus profectò arduum, & aleæ periculosæ plenissimum: quod omnes, qui hoc argumentum diligenter versarunt, fatentur solent ingenuè. nam verè hîc Scyllam inter & Charybdim est navigandum. Perijt, qui vel ad dextram plùs æquò, vel ad lævā deflexerit. medium verò tenere cursum, quàm difficile! Incedendum proinde cautissimè, cùm, ut hinc scopulosa immoderati rigoris Acroce-  
raunia, tum illinc exitiales dissolutæ laxitatis Symplegadas evitemus. Hæc quippe gemina mala sunt nobis ex æquo formidanda: cùm opinionum enormis laxitas solutis Christianæ disciplinæ repagulis hominem velut effrenem equum agat in omne scelerum præcipitium; nimius verò rigor excutientem suave Christi jugum in desperationis barathrum non rarò adurgeat. Hæc tecum, Amice Lector, in hujus opellæ meæ vestibulo. Ad rem ipsam nunc statim aggredior. Tu modò, Deus Opt. Maxime, qui nostrâ hâc lucubratione unicè quæreris, mitte Sedium tuarum assistricem Sapiëntiam, ut tecum sit, & tecum laboret. Absit, ut quid asseram vel Tuo sanctissimo Nomine indignum, vel Ecclesiæ Tuæ sanctionibus adversum. Siquid tamen ejusmodi exciderit incogitanti, & imprudenti, id jam modò ceu non assertum revoco, totâque animi contentione

*Execror, averfor, detestor, abominor, odi.*

CAPUT



# CAPUT I.

## DE CONSCIENTIA

### in genere.



Omen Conscientiæ attento communi, tritòque hominum usu significat illud internum animi testimonium, quo quis sibi conscius est de benè, vel malè factis, & propter illa sibi met probatur; de istis verò arguitur, accusatur, & angitur. In hac acceptione Sacra quoque Scriptura de Conscientia sæpiùs loquitur: ut *Genes. 43. Non est in nostra conscientia, quis posuerit eam (nempe pecuniam) in marsupiiis nostris.* Et *Eccles. 7. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* *Rom. 2. Testimonium reddente illis conscientia eorum.* *2. Cor. 1. Gloria nostra hac est, testimonium conscientia nostræ.* Hujus jam definitionem, & divisionem statuemus.

### ARTICULUS I.

#### *Quid sit Conscientia?*

##### SUMMARIUM.

1. Conscientia quid nominis? 2. Definitio Conscientia. 3. Solvitur duplex objectio. 4. Conscientia nec est actus Synteresis, nec Scientia Moralis. 5. Est actus prudentia, vel imprudentia. 6. Ad formandam Conscientiam alii quoque habitus concurrunt. 7. Varii actus, & munera Conscientia.

I. **I**N nominis etymologia Conscientia non est omnibus eadem. Nam *primo* quibusdam idem sonat, quod *cordis Scientia*, eò quòd soli homini pateat. Et hæc significatio placuit



cuit S. Bernardo *lib. 2. de consc. c. 8.* Secundo Sylvester in *Summa*, verbo *Consc. n. 1.* derivat à *conclusionem*, & *scientiâ*, ita ut Conscientia idem sit, ac *concludens scientia*. Tertio D. Th. desumit ab ordine scientiæ ad aliquid, & docet *1. p. 2. 79. a. 13. & Q. 17. de Verit. a. 2.* Conscientiam idem esse, ac *cum alio scientiam*: dicit enim, *quod Conscientia addit supra Scientiam applicationem Scientiæ ad actum particularem*. Atque postremus hic modus explicandi est magis proprius, quàm reliqui, sicut omnes post S. D. communiter tenent testante Gonet *de consc. prob. a. 1. n. 2.* Et hæc de vocabulo. De re ipsa

II. Dico. Conscientia est *dictamen practicum intellectus dictans, quid hic & nunc agendum, vel non agendum sit.* Explicatur Definitio. Dicitur primo *dictamen*: quia Conscientia est quædam intimatio, & annuntiatio æternæ legis, ceu Supremæ morum regulæ, à qua omnis eorum honestas derivatur. Dicitur secundo *practicum*: quia finis ipsius non est veritas, sed actio moralis, bona quidem, ut fiat; mala, ut non fiat. Et ideò Dicitur tertio, *quid hic & nunc, &c.* ut designetur objectum Conscientiæ, videlicet humana operatio ut hic & nunc in individuo exercenda, atque adeò omnibus circumstantiis circumdata. Additur etiam *intellectus* contra quosdam antiquos, qui senserunt, Conscientiam formaliter non tantum consistere in actu intellectus, sed etiam includere actum voluntatis. Ut totam definitionem adhuc clariùs percipias, habe exemplum: Sacerdos audita confessione pœnitentis ante absolutionem ita secum, si non expressè, saltem implicitè, & virtualiter discurret: pœnitentem, quem prudenter judico esse ritè dispositum, licitè absolvo: sed hunc pœnitentem hic & nunc prudenter judico esse ritè dispositum (dum nempe edit sufficientia signa doloris, propositi &c.) ergo ipsum hic & nunc licitè absolvo. Conclusio hujus discursus est ipsa, de qua loqui-

qui-



quimur, Conscientia. Nam imprimis est dictamen practicum: quia dicit, intimat, ac regulat actionem moralem. Deinde versatur immediatè circa opus, scilicet. absolutionem Sacramentalem, ut hic & nunc inspectis omnibus circumstantiis exequendum.

III. Objicies. Bonum & malum pertinent ad voluntatem: sed Conscientia dicitur bona vel mala; ergo pertinet ad voluntatem: ergo consistit in actu voluntatis. Deinde extimulare, & instigare ad prosecutionem boni est munus proprium Conscientiæ: sed instigare ad bonum spectat ad voluntatem; ergo &c. Resp. ad primum dist. maj. bonum & malum intrinsecè & subjectivè pertinet ad voluntatem, conc. extrinsecè, objectivè, vel directivè neg. maj. atqui Conscientia dicitur bona vel mala extrinsecè, objectivè, vel directivè, quatenus regulat & dirigit operationem bonam vel malam moraliter. Et in hoc sensu bonum vel malum dicitur etiam de intellectu practico per illud *Psal. 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* In altero similiter dist. maj. instigare ad prosecutionem boni impulsivè est munus proprium Conscientiæ, neg. directivè, intimativè, & præceptivè conc. maj. atqui non hoc, sed priori modo instigare spectat ad voluntatem. Ex dictis

IV. Collig. primo, Conscientiam formaliter neque consistere in actu Synteresis, neque Scientiæ moralis. Ratio primi est: quia actus Synteresis sunt prima, atque universalissima agendorum principia à particularibus actionum circumstantiis præcisa v. g. *Deus est colendus. Bonum honestum est amplectendum.* Item illud *Matth. 7. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Atqui Conscientia non est principium, sed conclusio discursus practici de operatione in particulari. Ratio secundi est: quia licet illi actus possint esse conclusiones particulares ex principiis Synteresis deductæ, non tamen regulant actionem humanam ut hic & nunc



sub determinatis in individuo circumstantiis exercendam, suntque & ipsi, ut rectè advertit Layman, diverso respectu moralia quædam axiomata, atque honestè vivendi regulæ.

V. Collig. Secundo, dictamen rectæ Conscientiæ esse actum Prudentiæ, non rectæ, actum imprudentiæ. Ratio est: quia Prudentia est *recta ratio agibilium*. Unde ab ejus directione provenit omnis honestas, quæ in opere sub particularibus circumstantiis exercendo reperitur. Prudentiæ quoque munus est, quid confideratis omnibus circumstantiis causæ, loci, temporis, &c. hic & nunc licitè fieri possit, ac debeat, statuere, atque concludere. Atqui hæc conclusio est ipsissima Conscientia; ergò. Cæterùm, quia solet contingere, ut Conscientia erret, illudque licitum esse pronuntiet, quod re ipsa non est licitum; quemadmodùm videbimus seq. cap. attendi debet, num error culpabilis, an inculpabilis sit? si inculpabilis, judicium Conscientiæ adhuc erit actus Prudentiæ. Patet in Confessario, qui pœnitentem prudenter absolvit etiam re ipsa indispositum, quando rationabiliter judicat, eum esse dispositum. Si error sit culpabilis; dictamen Conscientiæ erit actus imprudens: veluti si Confessarius ob ignorantiam improbabilem, seu vincibilem judicat, pœnitentem esse dispositum, ac dignum absolutione, dum re ipsa est indispositus.

VI. Collig. tertio, dum eliciuntur præmissæ discursus practici, ex quibus infertur dictamen Conscientiæ, varios habitus concurrere. Rem vide in exemplo: deliberas, an tempore Quadragesimæ tibi liceat comedere carnes? atque ita discurre: is, cui ex abstinentia carniū imminet probabile periculum sanitatis, à carnibus licitè non abstinet: sed mihi ex abstinentia carniū hîc & nunc imminet probabile periculum sanitatis; ergò à carnibus hîc & nunc licitè non abstineo. In hoc syllogismo Majorem formavit Scientia moralis deductam ex illo principio: *Leges positiva*



tiva cum gravi incommodo ordinariè non obligant. Minorem subsumpsit vel scientia experimentalis, vel Medica, vel fides humana, qua Medico periculum prædicenti assensisti. Conclusionem, & Conscientiam intulit Prudentia.

VII. Collig. quarto, Conscientiam primariò quidem versari circa actiones futuras; secundariò tamen circa præsentis, & præteritas. Ratio est: quia Conscientia ceu regula morum ex suo primario munere habet dictare, num actio sit ponenda, vel non ponenda. ex quo ipso consequitur secundariò, ut vel in actuali exercitio operis, vel opere jam peracto rem benè gestam approbet, malè gestam exprobet, incuset, redarguat. Ex primo oritur gaudium, consolatio, tranquillitas animi, atque excelsa in rebus adversis securitas, quam unicè præstat illud æs triplex circa pectus, & murus aheneus

*Nil conscire sibi, nullà pallefcere culpâ.*

Ex altero contrà nascitur quædam funesta tristitia, anxietas, perturbatio animi, diurna, atque nocturna formido & sui ipsius, & futurorum: quando ejusmodi hominem vel in profundis tenebris dum res cæteræ placidè quiescunt,

*affiduis circumvolat alis*

*Seva dies animi, scelerumque in pectore Diræ.*

Facile jam est, actus, & varia munera Conscientiæ enumerare. Illa D. Th. 1. p. loc. in num. 1. cit. ad tria capita reducit juxta triplicem modum, quo scientiam, vel cognitionem nostram ad ea, quæ agimus, applicare solemus. Aut enim recognoscimus, & judicamus, aliquid à nobis esse factum, vel non esse factum: aut aliquid esse faciendum, vel non faciendum: aut aliquid, quod factum est, esse benè, vel malè factum. Si primum, Conscientia dicitur testificari, secundum illud Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia eorum.* Et commune proverbium: *Conscientia mille testes.*



*testes.* Si secundum, Conscientia voluntatem vel instigat ad opus, ejusve omissionem: vel ligat, id est, obligat, ita ut non possit aliud sine peccato facere aut omittere, quàm illud, quod Conscientia faciendum aut omittendum esse dicitur. Et hoc sensu dicitur *Rom. I 4.* *Omne, quod non est ex fide,* id est, quod fit contra Conscientiam, *peccatum est.* Aut etiam solvit, hoc est, deobligat voluntatem sive ab operis executione, sive ejusdem omissione. Si denique tertium, Conscientia dicitur nos commendare, accusare, excusare, reprehendere, remordere &c. prout nempe vel bene vel malè nos quid fecisse, aut omisisse constat.

## ARTICULUS II.

### *Quotuplex sit Conscientia?*

#### SUMMARIUM.

1. *Divisio Conscientie in 5. membra.* 2. *Conscientia dubia non est formaliter Conscientia.* 3. *Conscientia scrupulosa reduci potest vel ad dubiam, vel erroneam.* 4. *Quid sit Conscientia bona & mala?*

I. **D**ividitur Conscientia communiùs in 5. membra, scilicet, in *Rectam, Erroneam, Dubiam, probabilem, & Scrupulosam.* Recta Conscientia, quæ etiam *Vera,* ac *Certa* dicitur, est illa, quæ dicitur esse licitum, quod est reverà licitum, & illicitum, quod est illicitum. Erronea est, quæ dicitur esse licitum, quod est illicitum, & illicitum, quod est licitum. Dubia est, quæ de neutra parte contradictionis judicat, sed circa utramque suspendit sententiam. Id si faciat ex defectu motivorum pro utraque parte, dicitur *negativè dubia*: si ob rationes & motiva positiva in utramque partem æqualiter inclinantia, dicitur *positivè dubia.* Conscientia probabilis, five



sive *opinativa* est, quæ de una parte contradictionis determinatè judicat, sed cum formidine oppositi. Scrupulosa est apprehensio, sive iudicium vel nulla, vel levissima ratione nixum, cum anxietate, & formidine conjunctum, ne alicubi sit peccatum, ubi tamen nullum est. De his omnibus Conscientiis statim agetur fusiùs. Interim

II, Observandum est, Conscientiam dubiam non esse propriè & formaliter Conscientiam, sed impropriè tantùm, ac reductivè. Ratio ex dictis priori artic. est: quia Conscientia formaliter est dictamen & regula operandi. Atqui Conscientia dubia non est dictamen aut regula: cùm nihil dictet, præcipiat, judicet, vel regulet; sed intellectum constituat ambiguum, ac veluti pendulum inter utramque partem contradictionis; ergo Conscientia dubia non est formaliter Conscientia. Dicitur tamen Conscientia reductive: quia saltem, potest esse dispositio, & quædam inchoatio practicæ consultationis, ex qua oriri, atque formari solet Conscientia formaliter & propriè dicta.

III. Atque hinc satis constat, membra dividendi Conscientiæ esse analogæ, ipsamque in ea divisionem ad rigorem dialecticum minùs exactam: nam & scrupulosam Conscientiam vel ad dubiam, vel erroneam, facilè reduxeris. Ad dubiam quidem, quando Scrupulosus ex suis levissimis fundamentis, quibus innititur, ad nullum determinatum iudicium procedit, sed anxius solum atque ambiguus circa honestatem vel inhonestatem operationis fluctuat. Ad Erroneam verò spectabit, quando Scrupulosus ob sua levissima motiva judicat, operationem esse illicitam, quæ revera est licita.

IV. His addi denique potest divisio Conscientiæ in bonam, & malam fortè Ascetis & Verbi Divini Concionatoribus, quàm scholis notior. Bona Conscientia eadem, quæ pura, munda,

B

tran-



tranquilla in eò reperitur, qui nullius criminis nec præteriti, nec præsentis sibi est conscius, sed integer vitæ, scelerisque purus se ipso, recteque à se factis jucundissimè fruitur. Talem sibi obtigisse fatetur Apost. Act. 2. *Ego, fratres, omni Conscientia bona apud Deum conversatus sum*. Hac Conscientia nihil lætius in adversis: quia ut dicit Sapiens, *secura mens, quasi jure convivi-um*. Nihil fortius in periculis: Nam &

*Si fractus illabatur orbis,  
impavidam ferient ruina.*

Nihil recti tenacius: quippe quam nec spes, nec metus, nec ulla crudelitatis acerbitas ab honesti tramite unquam dimoverit. Nihil adversus invidiam & malevolentiam infractus, dum sui secura cuius ringenti, lividoque obtreçtatori intrepidè occinit illud Magni August. ad Secundinum Manichæum: *Senti de Augustino, quidquid libet: sola me in oculis DEI Conscientia non accuset*. Mala econtrà Conscientia illum vexare dicitur, qui noxæ vel præteritæ causâ angitur. Vocatur hæc Conscientia immunda, inquinata, perturbata, &, ut habetur 1. ad *Timoth. 4.* cauteriata. Nihil illâ funestius, crudelius, atque acerbius. Quàm sit infelix, quem hæc domestica furia, hic vivus equuleus, atque interna carnificina exagitat, cruciat, lancinat, cave, si Deum, tuamque salutem amas, experiaris.

## C A P U T II.

# DE CONSCIENTIA Recta & Erronea.



Uia oppositorum est eadem disciplina, placet utramque hanc Conscientiam hîc simul exponere. Et quidem ut incipiamus à posteriori, fatentur omnes, Conscientiam Erroneam dividi in vincibiliter,



liter, & in invincibiliter Erroneam; juxta qualitatem videlicet ignorantia, quæ vel vincibilis, vel invincibilis esse potest, & ratione cujus Conscientia errare dicitur, Verùm cum non omnibus liqueat, quarum rerum apud homines sit invincibilis ignorantia, operæ pretium est, super hoc argumento impræsentiarum differere. Sit igitur

## ARTICULUS I. *Quarum Rerum invincibilis detur Ignorantia?*

### §. I. *Explicantur termini.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid sit ignorantia pura negationis, privationis, & prava dispositionis?* 2. *Quid ignorantia juris, & facti?* 3. *Quotuplex sit ignorantia juris?* 4. *Quid sit ignorantia Vincibilis; quid invincibilis?* 5. *Quomodo hæc duæ sint dignoscendæ?*

I. **Q**Uædam ignorantia puræ negationis dicitur, estque carentia scientiæ in subiecto ad sciendum non apto; vel simpliciter, ut in lapide; vel pro certo tempore, statu &c. V. G. in infante, amente. Et hæc est nescientia potius, quam veri nominis ignorantia, ut censet D. Th. 1. 2. Q. 76. a. 2. habetque locum in Angelis, quos cum multa lateant, quæ nôsse minimè possunt, ea nescire potius, quam ignorare dicendi sunt. Cæterum ignorantia propriè dicta dividitur in eam, quæ est privationis; & in eam, quæ est prava dispositionis. Prior est carentia scientiæ in subiecto apto ad sciendum: qualis est in homine adulto & rationis compote, dum res illas, quas scire potest, ignorat. Posterior est deceptio & error positivus in eo, qui judicat, aliter rem esse, quam est: sicuti faciunt hæretici, Judæi, & alii errantes Differt



igitur ignorantia privationis ab ignorantia pravæ dispositionis, quòd hæc præter carentiam scientiæ veritatis importet adhæsi-  
onem positivam intellectus ad falsitatem contrariam: illa verò  
consistat in sola carentia scientiæ, quam quis potuit, aut debuit  
habere.

II. Alia præterea est ignorantia juris, alia facti; quas Arimoto-  
les 3. *Ethic. c. 1.* vocavit ignorantiam universalium, & particula-  
rium. Ignorantia juris est, qua quis ignorat legem, vel præceptum  
superioris aliquid præcipientis, vel prohibentis. Ignorantia facti  
est, qua quis ignorat ipsam rem præceptam; ejusve conditionem,  
ex qua actio moralis quoad suam bonitatem, vel malitiam depen-  
det. V. G. si quis ignoret, lectionem libri hæretici esse prohibi-  
tam; vel abstinentiam à carnibus die Veneris esse præceptam ab  
Ecclesia, is habet ignorantiam juris. Si verò sciat, libros hæreticos  
esse prohibitos, vel abstinentiam à carnibus die Veneris esse præ-  
ceptam, nesciat tamen, certum aliquem librum esse hæreticum;  
vel cibum, quem comedit, esse carnem, tunc laborat ignorantia  
facti.

III. Porrò ignorantia juris tot modis dividitur, quot jura igno-  
rari contingit. Jus autem ad præsens institutum est triplex: videlicet.  
Naturale, Divinum positivum, & Humanum. Jus naturale,  
prout communiter sumunt Morales Theologi, est illud dictamen,  
seu lumen rationis rationali creaturæ à DEO naturæ Authore in-  
ditum, quo, quid faciendum, vel omittendum sit, cognoscat. De  
illo dicitur *Rom. 2. gentes, quæ legem (scriptam nimirum) non ha-  
bent, naturaliter* (id est, ex dictamine rationis naturalis) *quæ legis  
sunt, faciunt.* Dicitur quandoque Divinum. DEUS enim ipse, qui  
naturam condidit, est juris hujus Author, & Institutor. Quòd si  
referatur ad tempus sui ortus, naturale dicitur: nam unacum natu-  
ra nascitur, & non postea aliqua Divina, vel humana auctoritate  
condi-



conditur. Quocirca licet ejus præcepta in Decalogo inveniantur expressa, tamen ante Decalogum lapideis inscriptum tabulis, erat scriptum in tabulis humani cordis, nostræque naturæ congenitum: Jus Divinum positivum est, quod naturæ necessariò non conjunctum ad regendos homines DEUS pro tempore instituit. Tale jus erat lex vetus, sive Mosaica de cæremoniis, ritibus sacrificiorum, ordine judiciorum &c. apud Judæos. Tale quoque est hodie lex nova, sive Evangelica continens præcepta circa fidem, sacrificium, administrationem, & susceptionem Sacramentorum &c. Jus humanum est illud, quod conditur auctoritate humana: eaque vel Ecclesiastica, & dicitur jus Ecclesiasticum; vel civili, & dicitur jus civile. Atque de omnibus his juribus, eorumque præceptis dari quandoque ignorantiam, nemo, quem sciam, dissitetur. Quare, ut ad id, de quo dubitatur, propius accedamus,

IV. Nota ulteriùs, ignorantiam aliam esse *invincibilem*, aliam *vincibilem*. *Invincibilis* est, quæ adhibita morali diligentia ad inquirendam veritatem superati, ac tolli non potuit: idque ex istis capitibus, quòd vel non dubitet homo de opposito, nec cogitet de ulla obligatione inquirendi: vel quamvis ejusmodi obligatio venerit in mentem, facta tamen sufficienti inquisitione cognitio veritatis acquiri non potuit. Exemplum habes, si rusticus v. g. legat librum hæreticum, de quo vel non dubitat, nec cogitat esse hæreticum: vel, si dubitavit, & interrogavit Parochum, hic responderit, librum non esse hæreticum. Sanè hic rusticus non potuit adhibita morali diligentia venire in cognitionem veritatis, & consequenter laborat ignorantia invincibili. Hæc ignorantia etiam dici solet *antecedens*: eò quòd antecedit omnem actum voluntatis, sitque proinde nec directè nec indirectè voluntaria. Unde ulteriùs vocatur *inculpabilis, justa, probabilis*: quia nempe reperitur in homine citra omnem culpam, atque



ex illa operans excusatur ab omni peccato: sicuti infra pluribus dicitur. Ignorantia *vincibilis* est, quæ morali diligentia superari, ac tolli potuisset. Solet vocari *consequens*: quia sequitur actum voluntatis vel directum, vel interpretativum: Adeoque vel directè, vel indirectè, vel interpretativè est voluntaria. Quare præterea appellatur *injusta*, *improbabilis*, *culpabilis*. quæ epitheta tunc ei conveniunt; quando est circa rem cognitu necessariam, & quam operans scire tenetur. Ex quo apparet, non omnem ignorantiam vincibilem, & quam quis vitare potuit, imputari ad culpam; sed quam vitare potuit, & debuit. Hinc ego innocenter ignoro, quid rei contineant nova heri ab aliis lecta. Nam licèt hoc scire potuissem facillimè, si placuisset interrogare; scire tamen non debui: quia nulla lege ad vitandam similitum ignorantiam obligor. Cæterùm quæ dicta sunt hætenùs de ignorantia, debent etiam intelligi de inadvertentia & oblivione. Potest igitur oblivio, & inadvertentia dividi, sicut ignorantia, in invincibilem, & vincibilem: item in eam, quæ est Juris, & quæ est Facti, atque in alia membra dividentia antè recensita.

V. Ex dictis jam facilè colligitur, unde quis possit dignoscere ignorantiam vincibilem & invincibilem, unamque discernere ab altera. Ut ignorantia quæppiam, sive juris, sive facti, sit invincibilis, nulla cogitatio, dubitatio, vel suspicio de illa re, quæ agitur, in intellectu operantis debet actualiter præcedere. Secùs enim, siquid ejusmodi venerit in mentem, v. g. si occurrat cogitatio, rem fortè esse malam, vel periculofam; vel esse magis expendendam: vel si oriatur dubium de illius honestate, jam non erit ignorantia invincibilis, sed vincibilis, & culpabilis; nisi fortè adhibita quoque sufficienti diligentia veritatis notitia haberi non possit. Atque ita de hac re sentiunt Sayrus *lib. 2. Clau. c. 9. n. 20.* Carolus de Baccis *tract. 2. parte 2. sect. 1. n. 15.* Castropalao *tract.*



*tract. 2. Disp. 1. pu. 15. n. 6. & alii, quos referunt. Verùm quanta debeat esse diligentia, quæ sit sufficiens ad auferendam ignorantiam, non potest certâ regulâ determinari. Prudentiùm itaque iudiciò res ista, consideratis omnibus, quæ ad tale officium, objectum, vel præceptum attinent, est metienda. His ita positis, sit*

## § II.

*Asseritur invincibilis ignorantia Facti, & Juris positivi tam Divini, quàm humani.*

## SUMMARIUM.

6. *Sententia Guilielmi Parisiensis. 7. Statuitur invincibilis ignorantia Facti. 8. Et Juris positivi. 9. Hæc utraque ignorantia excusat à peccato.*

VI. **D**ari ignorantiam invincibilem Facti negavit Guilielmus Parisiensis *tract. de legibus c. 21.* ut refert Sayrus in *Clavi regia c. 9. n. 21.* eo potissimùm argumento persuasus, quòd homo, ut docebat, sit obligatus non solum ad externam veritatis inquisitionem sitam in consultando, studendo &c. sed etiam ad fundendas ejus inveniendæ gratiâ preces, procurandamque Conscientiæ munditiem. His præstitis, aiebat, Deum nunquam passurum, ut quis erret in facto particulari. Ita in sententia Guilielmi maritus, cui loco legitimæ conjugis clam alia supponeretur, non teneretur quidem externâ diligentiam explorare, quænam esset ea fœmina, quando bona fide crederet esse suam; si tamen interiùs per orationem, & pœnitentiam esset benè dispositus, immutaretur Divinitùs cor suppositæ, ut se ipsam manifestaret, ne ex ignorantia fornicatio committeretur. Verùm hæc opinio hodie caret omni sapientiùm patrociniò, falsamque esse constabit ex dicendis. Itaque

VII. Dico



VII. Dico primo. Datur invincibilis ignorantia facti. Ratio est. illius ignorantia est invincibilis, de quo nulla cogitatio, dubitatio, suspicio aut saltem confusa notitia in intellectu ignorantis existit: ut vidimus in præced. §. ergo illa facti ignorantia est invincibilis, de quo nulla cogitatio, dubitatio &c. in intellectu ignorantis existit. Atqui hoc frequenter contingit; ut probat experientia. Quod sanè mirum non est: quid enim pronius, quàm circa tot particularia, & contingentia, eorumque circumstantias hominem falli penitus incogitantem? ita qui in venatione explodens bombardam traiecit hominem existimans, esse damam, non ignoravit quidem, esse illicitum necare hominem; at ignoravit, animal, quod percussit, fuisse hominem. Sic ementi equum v. g. furtò abactum certum esse potest, emptionem rei furtivæ esse prohibitam: at ignorat invincibiliter, equum, quem emit, esse furtò abactum: cum nulla in mentem veniat prudens ratio dubitandi, aut interrogandi venditorem. Sic edens, vel alteri porrigens cibum re ipsa venenatum optimè novit, vesci huiusmodi cibo, eumve præbere alteri, esse peccatum: at ignorat hîc & nunc, cibum esse venenatum; idque invincibiliter: quia nulla de hoc cogitatio, dubitatio, vel levissima conjectura occurrit.

VIII. Dico Secundo. Datur etiam invincibilis ignorantia Juris positivi tam civilis, & Ecclesiastici, quàm Divini. Ita communiter omnes D D. Ratio primi, & secundi est: quia notitia Juris positivi humani, ejusque legum, ac statutorum omnium singulis hominibus non est possibilis. Legum siquidem humanarum præcepta non ita connectuntur cum legis naturalis communibus principiis, ut ex iis inferri possint per discursum; sed potius dependent ex voluntate & libera ordinatione Legislatorum. Aliunde autem (v. g. lectione librorum, vel interrogatione peritorum) cognitionem eorum omnium comparandi sæpè multis occasio,



cātio, atque facultas non suppetit. Unde facilè contingit, ut talibus aliquæ leges humanæ nequidem in mentem unquam veniant, nec ulla de illis cogitatio, vel dubitatio suboriat. Sed hoc est illas ignorare invincibiliter; ergo. Ratio tertij est: quia ut docet S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1. dantur infideles negativè, id est ejusmodi, ut eis infidelitas non imputetur ad peccatum: sed isti laborant ignorantia invincibili juris divini positivi: quippe, qui inter infideles nati, ac educati ob defectum prædicationis nihil unquam audiêrunt de Lege Evangelica, nec aliquid de fidei nostræ Mysterijs percipere potuerunt.

IX. Dico Tertio. Ignorantia invincibilis facti, & juris positivi tam divini, quàm humani excusat à peccato. Ita communissimè DD cum D. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. Ratio est manifesta: quia opus ex tali ignorantia factum non est voluntarium: ergo non est peccatum. Conseq. patet. nam *usque adeò* (ait S. Aug. L. de vera Relig. c. 14.) *peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et sanè voluntarium esse de ratione peccati, est implicite definitum à tribus Pontificibus, Pio V. Gregor. XIII. & Urbano VIII. qui damnârunt hanc propositionem Michaëlis Baij: *ad rationem & definitionem peccati non pertinet ratio voluntarij.* Prob. jam Ant. omne voluntarium debet esse cognitum: quia nihil volitum, nisi præcognitum: sed opus ex simili ignorantia factum non est cognitum: cùm hæc ignorantia omnem illius cognitionem removeat; ergo tale opus non est voluntarium. Conf. Opus, v. g. homicidium, ex invincibili ignorantia patrarum neque est voluntarium in se, neque in sua causa: ergo non est voluntarium. Conseq. constat. ant. prob. non in se: quia in se nullo modo est cognitum. Non in sua causa, videlicet ignorantia: nam ista sicut est penitus non volita, ita non potest esse causa voliti, sive voluntarij.

C

§. III.



*An detur invincibilis ignorantia Juris naturalis?*

## SUMMARIUM.

10. Triplex genus præceptorum naturalium. 11. Prima principia practica non possunt invincibiliter ignorari. 12. Neque ad longum tempus præcepta naturalia ex illis proximè deducibilia, si absolute sumantur. 13. 14. An & quomodo aliqui Gentiles ignoraverint præcepta Decalogi? 15. Hæc præcepta possunt invincibiliter ignorari, si cum certis circumstantijs conjungantur. 16. Adstruitur invincibilis ignorantia juris naturalis quoad conclusiones remotas, & probatur ejus existentia ratione. 17. Ab experientia. 18. Ab absurdis sententiæ contraria. 19. 20. 21. 22. Proponuntur, & solvuntur objectiones.

**X. D**ati hanc ignorantiam multi negârunt antiqui Theologi, ut refert Sayrus in *Clavi L. 2. c. 9. n. 16*. Horum sententiam amplectitur præter alios recentes Theologos P. Vincent. Contenson, eamque acriter defendit *tomo. 3. Dissert. 6. c. 1. specul. 1*. Verùm opinio contraria, sicut hodie communis est, ita & vera censei debet. Quæ ut intelligatur, *notandum est*, Juris naturalis præcepta esse in triplici differentia. Quædam sunt prima & universalissima morum principia: ut, *bonum est faciendum: malum fugiendum. item: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & illud: summum bonum est amandum*. Quædam ex his per se notis principijs immediatè, ac citra operosam investigationem facillimo discursu colliguntur: sicut ea, quæ sunt expressa in Decalogo. Demum alia ita se habent, ut ex primis principijs, vel Decalogi præceptis non nisi mediatè, remotè per studium, atque difficilem discursum inferantur. talia sunt: *simplex fornicatio est fugienda. Injuriam tibi illatam propria auctoritate ne vindica*. Hæc, & similia cum à communibus morum principijs multum distent, non  
cuivis



cuius humano intellectui etiam post accuratam veritatis inquisitionem clarè innotescunt: idque vel inde colligitur, quòd constet, non modò Ethnicos, atque indoctos, sed etiam Christianos, doctòsque fuisse inventos, qui crederent, ista jure naturæ non esse prohibita. Exempla referemus paulò inferiùs. Nunc

XI. Dico primo. Jus naturale quoad prima principia practica ab adulto rationis compote non potest invincibiliter ignorari. Ratio est manifesta: quia prima principia morum v. g. *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Parentes sunt honorandi &c.* Non minùs per se, & ex sola terminorum apprehensione sunt evidèntia, quàm prima principia Metaphysica: *quodlibet est, vel non est: totum est majus sua parte: si ab equalibus demas equalia, manent equalia &c.* Ergo sicut hæc nemo rationis compos penetra-  
tis terminis ignorat invincibiliter, ita nec illa, ergo vera est assertio. Atque hæc est ratio, propter quam SS. PP. passim dicunt, legem naturalem à DEO scriptam esse in cordibus hominum, nec ignorari posse à quoquam. Aug. in Psal. 118. conc. 25. *Nullus est, qui facit alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit. & in hoc transgreditur nature legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati.* Et noster Beda Venerab. in eundem Psal. *Planissimum, & Apertissimum est omni homini illud præceptum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hieronym. in Epist. ad Algas. q. 8. *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcirco justum DEI judicium est scribentis in corde humani generis: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

XII. Dico secundo. Præcepta naturalia secundi generis, qualia sunt, quæ exprimentur in Decalogo, quamvis absolutè considerata non possint ignorari invincibiliter longo tempore, possunt tamen sic ignorari, si occurrant cum aliqua certa circumstantia. Prima pars dicti ostenditur. Nam licèt ea præcepta non



sint prima, & immediata principia Juris naturalis, sunt tamen conclusiones ita immediatæ, & evidenter ex illis inferibiles, ut vel levissima diligentia, quam in dubio nemo non tenetur adhibere, ad earum illationem sufficiat: ergo evidens est, adhibita morali diligentia neminem rationis compotem latere dicta præcepta, & consequenter non posse ignorari invincibiliter. Conseq. patet. Ant. declaro. Hæc propositio: *summum bonum est amandum*, est primum principium Synteresis, & axioma lumine naturæ notum. Fac aliquem huic veritati assentiti. Quid jam facilius homini DEUM non ignorantem, quam subsumere: *DEUS est summum bonum?* hoc autem factum naturaliter, & evidenter sequitur: ergo *DEUS est amandus: ergo nulla blasphemia offendendus: ergo certo tempore colendus*. Sed istæ conclusiones sunt præcepta primæ tabulæ; ergo præcepta primæ tabulæ facillimè & evidenter ex primo legis naturalis principio inferuntur. Eodem modo præcepta secundæ tabulæ deducuntur ex alio principio: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Quid enim? an non statim ex illo sequitur: *ergo ne occidas, ne moecheris, ne fureris &c.* si paulum in temet reflexus sublimas, quòd talia tibi fieri non velles?

XIII. Objicies. Multi Gentiles licita putârunt flagitia plurima, eaque enormia, quæ prohibentur in Decalogo: ergo hujus præcepta non ita facilè deducuntur ex primis principiis præcticis, sicut asserimus. Ant. Ostenditur. Germani, ut refert Julius Cæsar *lib. 6. de Bello Gallico*, olim furari credebant esse licitum. Lacedæmones quoque, ut est apud Plutarchum in vita Lycurgi, adulteria minimè existimabant prohibita. Hinc officii, atque honoris contestatio erat, amicum amico suam uxorem communicare. Grammatici gens Æthiopica, uti testatur Solinus *c. 43. histor.* solas matres revereri, ac honorare, patribus



tribus verò nihil reverentiæ exhibere solebant. De Scotis narrat S. Hieronymus *l. 2. adversus Jovin.* eos, cum per sylvas porcorum greges, pecorumque armenta reperissent, non in hæc, sed in pastores involâsse, eorumque nates, fœminarum verò papillas abscidisse, hæcque solùm ciborum delicias arbitratos. *Masfagetes, & Derbices* (pergit Doctor Maximus) *miserrimos putant, qui agrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinguos, cum ad senectam venerint, jugulantes devorant, rectius esse ducentes, ut à se potius, quàm à vermibus comedantur.* Similia narrat S. Chrysoft. *homil. 4. in c. 1. ep. ad Rom.* Atque hæc omnia manifestè repugnant præceptis Decalogi, eisque expressè prohibentur; ergo verum est ant.

XIV. Respondetur. Per inveteratam apud illos populos peccandi consuetudinem factum quidem esse, ut licita putaverint ejusmodi fœda, atque nefanda: verùm id nostræ doctrinæ neutiquam obstat; quia ignorantia & error, in quo versabantur, erat vincibilis: nam poterant, ac debebant scire, illa opera mala esse: cum hoc cognoscendi sufficientia in se haberent principia, ad quæ quia suapte malitia occæcati non respexerunt, tradidit illos DEUS in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt, dicit Apost. *ad Rom. 1.* De pueris tamen usum rationis primùm adeptis, atque in illa morum feritate educatis dicendum est, eos dictarum turpitudinum, & vitiorum inhonestatem invincibiliter ignorare ad breve tempus potuisse: donec videlicet usum rationis paulatim pleniorum consecuti seipos consulerent, quidque licitum, illicitumque esset, ex practicis morum principiis: *bonum est faciendum: malum vitandum. Quod tibi non vis fieri &c.* cujuslibet intellectui citra alienum magisterium naturaliter inditis discerent, atque colligerent. Durum quippe videtur, eos pueros sub primum rationis crepu-



sculum, ejusque lucem necdum satis firmam statim de culpabili ignorantia condemnare, si majorum, parentum, civiumque suorum moribus, atque exemplis inducti scelera in objectione commemorata, quæ tanquam honesta prædicari, ac perpetrari quotidie videbant, & ipsi approbaverint. Ad breve igitur tempus ignorari posse invincibiliter ipsa præcepta Decalogi etiam absolute considerata, non est negandum.

XV. Jam posterior pars Conclusionis n. 12. statuta etiam probatur: illa præcepta, quæ ex se clarè innotescunt, interdum ob circumstantias à peccato apparenter excusantes redduntur cognitu obscura: ergo potest contingere, ut aliquem intellectum lateant, & quidem longo tempore. Conseq. videtur legitima. Ant. ostenditur: clarum est, mentiri esse peccatum: at non ita clarum est, id esse peccatum in necessitate ad conservandam vitam vel suam, vel amici. Quapropter non defuerunt, qui in hujusmodi casibus id esse licitum etiam cum juramento existimarent: ut habet Vasquez apud Thyrsium Gonzalez *de probabilitate. Dissert. 11. c. 5. n. 18* Clarum est, furtum repugnare justitiæ, & rectæ rationi. Verùm non omnibus statim liquet, esse prohibitum, ne quis furetur malis divitibus ad largiendum bonis pauperibus eleemosynam. Similiter clarum est, semet vel alterum, qui est innocens, occidere rem esse pessimam: non tamen est omnibus evidens, mortem sibi consciscere evitandi acerbissima tormenta, vel castitatem conservandi gratrà esse facinus culpabile. Demum: non est adeò cuivis apertum, esse peccatum interficere commilitonem in prælio gravissimè faucium absq; spe vitæ cum morte inter maximos dolores luctantem, atque interfici enixè rogantem: quemadmodum Saul rogavit Amalecitem: *Sta super me, & interfice me &c. 2. Reg. c. 1.*

XVI. Dico tertio. Quoad præcepta à communibus principiis



pijs practicis remota, seu conclusiones, quæ ex illis mediatè per operosam argumentationem inferuntur, sæpè datur invincibilis ignorantia juris naturalis. Ita communis sententia. Probatur primo. Nullus Doctor, quantumcunque Sanctus & sapiens gaudet privilegio nunquam errandi in illis, quæ docet circa jus naturale: sicuti constat experienciâ, & suadet ratio. Nam sæpè aliqua sunt jure naturæ prohibita, quorum malitia ita fugit humanam notitiam, ut viri plurimi & probi & docti existiment, esse licita, vel solùm lege positiva prohibita, alijs itidem probis & doctis oppositum sentientibus. Unde contingit, ut de eodem objecto ad jus naturale pertinente doceant opiniones contrarias, vel contradictorias, quæ non possunt esse simul veræ. Ita S. Th. docet, reum privatâ judicis scientia innocentem debere damnari ad mortem, si per allegata & probata in foro externo probatus sit nocens: alij hoc neque debere, neque posse fieri existimant. Similiter (ut alia omittam) de pluribus contractibus est magna controversia inter gravissimos Doctores, sintne usurarij, vel Simoniaci, an non? alij affirmant, alij negant. Da igitur (quod revera contingit) Doctores complures probos, & sapientes sentire, contractum esse usurarium; alios verò complures non minùs probos, & sapientes sentire, contractum non esse usurarium. Jam sic: in ista hypothefi alterutra sententia re ipsa est necessariò falsa, & contra jus naturale: ergo alterutri Doctores re ipsa errant contra jus naturale, & consequenter versantur in ejus ignorantia. At fortè vincibili. Quis autem ferat istud dicentem? cùm ejusmodi viri non nisi post diligens studium, accuratam argumentorum utriusque partis discussionem, fusas quoque ad Deum preces, quod sentiunt, pronuntient, ac scribant? sanè si his præstitis nihilominùs errare in cognitione veritatis non sit errare invincibiliter, fateor, quid sit errare invincibiliter, me capere non posse. Confirm.

primo.



primo, Si quis à pueritia audiret, Doctores pietate, & sapientia præstantes judicate, contractum aliquem, qui re ipsa est injustus, esse justum, ac licitum: si videret præterea: illum contractum à suis civibus communiter celebrari, talis profecto ne minimam quidem conciperet suspicionem de iniquitate contractus: ergo invincibiliter ignoraret ejus malitiam: ergo laboraret ignorantia invincibili actionis jure naturali prohibita. Atqui hoc sæpè contingit: ergo sæpè datur invincibilis ignorantia aliquorum, quæ jure naturali prohibentur. Confirm. secundo. Multi errant invincibiliter in deductione conclusionum speculativarum Physicæ & Mathematicæ, tam etsi principia utriusque scientiæ sint eis notissima; quia nempe non omnes conclusiones speculativæ sunt æqualiter vicinæ principijs, sed aliqua multum ab eis remotæ, & solum ingenijs acutioribus perceptibiles: ergo similiter errari potest invincibiliter in deductione conclusionum practicarum circa ea, quæ jure naturæ sunt vetita; quia, tametsi communia principia practica sint omnibus evidentiæ, aliqua tamen conclusiones ex illis deducibiles sunt valde remotæ, & non nisi magno labore, diuturna meditatione, & operosa argumentatione vix etiam à sapientibus eruuntur. Et hæc doctrina in nostro proposito vel ideo vera est, quod intellectus in hoc statu naturæ lapsæ ad cognitionem veritatum moralium, quàm speculativarum longè sit invalidior.

XVII. Probatum secundo. Invincibilis ignorantia juris naturalis sæpè deprehensa est, hodièque deprehenditur in multis non modò rudibus, sed etiam doctis & sapientibus: ergo vera est communis sententia. Conseq. patet. Ant. ostenditur: Cicero quàm Latinorum eloquentissimus, tam summus Philosophus *de Offic. L. I. c. de just.* illatas injurias privata autoritate ulcisci licitum esse putavit: nam *primum*, inquit, *justitiæ munus est, ut ne quis cui noceat, nisi lacessitus injuria.* Censuit præterea *Lib. I. Tuscul.*



*Tuscul. q. q.* fas esse mortem sibi consciscere majoris miseræ declinandæ gratia. Divinus Plato, mentiri non esse vitium credit, quando quis ob confessionem veritatis in gravissimum discrimen conjiceretur, dixitque, in eo eventu esse utendum mendacio tanquam helleboro. Quid? quòd Durandus in 4. dist. 33. q. 2. fornicationem juri naturali non esse graviter contrariam existimaverit? Docent cum P. Haunoldo graves DD, reum justè damnatum ad hauriendum venenum, ad pugionem pectori infigendum, posse per semet exsequi eam sententiam, suâque manu venenatum poculum ori admove, & pectori pugionem infigere, Alij e contra id negant. Ecce! versantur hic DD. in quæstione spectantè ad jus naturæ. Nemo eorum post accuratam veritatis inquisitionem, & quantumvis diligens studium dicere aude, sibi certò constare, quidnam reo jus naturale circa hanc executionem vetet, vel permittat: ergo manifestum est, eos istius juris obligationem in hoc eventu ignorare invincibiliter. Nam toties aliqua obligatio ignoratur invincibiliter, quoties adhibitâ ad comparandam ejus notitiam debitâ diligentia adhuc non certò constat; sed hoc contingit in casu nostro; ergo. Quod DD. in hac materia sæpè experiuntur, Confessarijs quoque non rarò usuvenit: nam multa audiunt ex penitentibus etiam adultioribus in pueritia contra jus naturæ commissa: quæ antea nunquam erant confessi, & de quorum malitia post aliquod primum tempus, & majorem judicij maturitatem scrupulum concipiunt. Tales ante ejusmodi scrupulum, ac suspicionem subortam ignorabant invincibiliter, se contra jus naturæ delinquere. Vasquez apud Sayrum in *Clavi reg. L. 2. c. 9. n. 19.* refert, se nôsse rusticum quemdam, qui sibi pius, ac misericors videbatur, si ægrotum cum morte luctantem in alteram partem versaret, ut citiùs animam exhalans ex maximis angoribus liberaretur. Et addit Vasquez, se factò diligenti examine

D

deprehen-



deprehendisse, id hominem ex invincibili ignorantia fecisse. Idem Author narrat de quodam Roderico Diaz, qui existimans, perpetuitatem matrimonij non esse præceptam jure naturæ, filias suas abstulit primis maritis, & alijs nuptui tradidit.

XVIII. Probatur tertio ab absurdis, quæ ex sententia contraria sequuntur. Negata juris naturalis invincibili ignorantia sequitur primo, homines rudiores non posse tutâ conscientiam inire ullum contractum, quantumvis eum licitum censeant viri doctissimi ac sapientissimi, quando à parte rei injustus est, atque illicitus. Hoc autem quàm sit absurdum, quis non videt? sequela constat: nam si contractus sit reipsa injustus, & jure naturæ prohibitus, contrahentes id non possunt ignorare invincibiliter: ergo nec bona fides, nec ignorantia (quippe non invincibilis, & inculpabilis) illos à peccato excusat. Sequitur secundo, nullam quæstionem ad jus naturæ spectantem absque peccato posse resolvi probabiliter etiam quacunque magna probabilitate. Patet sequela. Nam si quis Doctor in ea resolutione errat, vincibiliter errat, & alijs præbet occasionem sectandi sententiam contrariam juri naturæ, atq; aded peccandi ex errore, ac ignorantia illius. Si non errat, committit se saltem manifesto periculo errandi; cum nesciat, an sua sententia sit juri naturæ conformis, an non? quod tamen scire & potest, & teneretur. Immo sequitur Tertio, Theologis omnibus vel esse penitus abstinendum à decisionibus casuum, & controversiarum ad jus naturale pertinentium; vel semper in favorem partis tutioris pronuntiandum. Si enim hujusmodi quæstiones aggrediantur resolvere, id facere nunquam poterunt, quin & se, & alios exponant periculo contra jus naturale culpabiliter errandi. Quod si relicta in medio controversiarum discussione tutiorem partem semper esse tenendam pronuntient, plurimum aggravant suave Christi jugum, & aliorum conscientias nimis arctant: quod & ipsum juri naturæ adversatur.

XIX. Obj-



XIX. Objicies primo. Nulla ignorantia consequens est invincibilis: omnis ignorantia juris naturalis est consequens: ergo nulla ignorantia juris naturalis est invincibilis. Major est certa, minor probatur. Omnis ignorantia, quæ oritur ex nostro peccato personali, est consequens: omnis ignorantia juris naturalis oritur ex peccato personali; ergo omnis ignorantia juris naturalis est consequens. Major constat: quia talis ignorantia sequitur actum voluntatis, estquæ voluntaria in sua causa. Minor probatur: nam imprimis, quando erratur contra communia juris naturalis principia, id non aliunde provenit, quam quòd ratio per concupiscentiam, aliãque passionem impediatur, ne dicta principia ad particulare operabile debite applicet. Secundaria vero hujus juris præcepta quæcunque non ignorantur, nisi propter pravas consuetudines, vel habitus corruptos, veluti docet S. Th. 1. 2. q. 94. a. 6. ergo vera est minor, quæ erat probanda. Ita quoad substantiam Contenson. Respondeo conc. mai. neg. mi. ad hujus probationem fateor, id, quod dicitur de communibus principijs, verum esse, quando sumuntur, ut sunt in se, sive in quantum clarè, atque explicitè innotescunt operanti, non autem, si considerentur, ut continent implicitè, confusè, atque obscurè quædam præcepta, & conclusiones particulares valdè remotas. sicut enim error, vel ignorantia circa ejusmodi conclusiones non semper oritur, ut hætenùs ostendimus, ex concupiscentia, aliãque passione, ita nec error contra communia principia, quatenùs eas dicto modo continent. De secundarijs præceptis similiter constat ex dictis: si enim sint conclusiones propinquæ communibus principijs, atque ex eis facile inferibiles, non est negandum, eorum ignorantiam absolutè spectatorum sæpenumerò provenire ex prava peccandi consuetudine, & habitibus corruptis: sicut colligitur ex solutione object: n. 13. propositæ. Quòd si per præcepta secundaria intel-



ligantur etiam ea, quæ à communibus principiis juris naturæ valde distant, obscura, multumque abstrusa, verum non est, pravæ consuetudines, habitusque vitiosos esse semper in causa, quòd ignorentur. Neque id docuit S. Th. loc. cit. nam loquitur manifestè de præceptis secundarijs, *quæ sunt* (ut ibi habet in corp. art.) *quasi conclusiones propinquæ principiis.*

XX. Obijcies secundo. *Faciendi, quod in se est, DEUS non denegat gratiam*: ut dicit axioma Theologicum. ergo sollicitè, ac sincerè, prout oportet, inquirenti veritatem quamcumque circa jus naturale, ejusdemque manifestationem à DEO petenti DEUS infallibiliter manifestabit, juxta promissionem Christi: *Quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Ergo quicumque laborat ignorantia juris naturalis, ideò laborat, quia veritatem non quæsit, ut tenebatur, nec DEUM satis ardentè oravit, ut illuminaretur. Ergo sequitur, nullam ignorantiam juris naturalis esse invincibilem, quia omnis dicta ratione vinci, atque deponi potest à quolibet. Respondeo, illud axioma Theologorum esse solùm intelligendum de his, quæ sunt necessaria ad salutem. Atqui non omnis notitia cujuslibet veritatis ad jus naturale pertinentis est necessaria ad salutem: consequenter immeritò asseritur, facienti, quod in se est ad inveniendam quamcumque veritatem in iis, quæ circa jus naturæ sunt apud Doctores controversa, DEUM illam revelaturum, ne erret in operando. Secus pari jure audebo dicere, veritatem Doctori Theologo facienti quod in se est ad eam inveniendam in quæstionibus circa jus naturæ controversis à DEO certò detectum iri, ne erret in docendo. Sed consequens est falsum, & contra experientiam, qua constat, S. Thomam, aliòsque Doctores Sanctissimos & Sapientissimos etiam post diligenter inquisitam veritatem, post summum studium, post fusas ad DEUM preces, ne errare se permetteret, nihilominus in rebus ad  
jus



ius naturæ spectantibus docere contraria, & consequenter alterutram illorum sententiam esse re ipsa falsam, juriq̄ naturæ repugnantem, quod est formalissimè hujus juris laborare ignorantia, & quidem invincibili, ut patet ex dictis. Atque hinc etiam, quid sit dicendum ad illa verba S. Script. constat. Enim verò, si ex dicta promissione Christi non sequitur, Doctori quantumcunque sollicitè quærenti, ac pulsanti teneri Deum aperire veritatem, ne contra illam erret in docendo; etiam non sequitur, teneri manifestare veritatem ad jus naturæ pertinentem facienti diligenter inquirendo, quod in se est, ne contra eam erret in operando. Quòd si quis dicere vellet, Deum promississe revelationem veritatis quærenti illam ad operandum, non verò ad docendum, gratis hoc diceret: nam verba script. allata sunt universalia.

XXI. *Objicies Tertio.* Quilibet homo tenetur observare omnia omnino præcepta naturalia ad se pertinentia: ergo omnium eorum debet habere, vel potest habere notitiam, & consequenter nullum ignorat invincibiliter. Conseq̄ patet: quia potentia observandi præcepta, quæ hîc supponitur, necessario importat illorum notitiam: quod enim est nobis ignotum, vel cujus notitiam habere non possumus, etiam observare non possumus. Confirm. Opera Juri naturæ adversa sunt intrinsecè mala: ergo datur præceptum DEI prohibens, ne quis ea committat. Hoc autem præceptum est observatu possibile: quia DEUS non jubet impossibilia. Atqui non esset observatu possibile, si homo nullam haberet de illius existentia notitiam, vel nullam acquirere diligenter indagando posset. Ergo quotiescunque homo ignorat eius præcepti existentiam, suâ culpâ ignorat: non enim ignoraret, si debitam diligentiam in inquisitione veritatis adhibuisset.

Respondeo, hoc argumentum evidenter instari in ignorantia facti, vel circumstantiæ particularis. Ostendo. Datur, ut



omnes fatentur, præceptum DEI absolute prohibens, ne quis accedat ad non suam: item, nequi contrahant matrimonium cum impedimento dirimente: Modò sic: Quilibet homo tenetur observare præceptum de non accedendo ad alienam: item præceptum de non contrahendo matrimonium cum simili impedimento: ergò quilibet debet habere vel potest habere notitiam de qualitate mulieris, ad quam vult accedere, & de impedimento dirimente matrimonium. Pater conseq. Quia sublata horum notitia homines non possent semper vitare violationem dictorum præceptorum. Sicut igitur contingit, ut quis, non obstante absoluta prohibitione DEI, ne similes actus fiant, accedat inculpabiliter ad non suam per ignorantiam invincibilem inductus, quòd sit sua, quemadmodum Jacob accessit ad Liam: vel ut contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, aut etiam bona fide consummetur ob ignorantiam invincibilem alicujus facti: v. g. quòd etiamnum vivat prior maritus: ita contingit, ut quis non obstante obligatione absoluta servandi præcepta legis naturalis incidat in præcepti cujusdam particularis ignorantiam invincibilem, atque ex hac existimet v. g. esse mentiendum propter salutem proximi; vel furandum malis divitibus ad largiendum eleemosynas bonis pauperibus.

XXII. In forma dist. Ant. tenetur observare omnia præcepta naturalia, & permittitur quandoque illa transgredi materialiter conc. & nunquam permittitur transgredi materialiter nego Ant. & distingo Conseq. ergo omnium debet habere, vel potest habere notitiam, quando DEUS non permittit eorum transgressionem materiale conc. dum hanc permittit, nego Conseq. atqui DEUS non rarò permittit, ut homo sua præcepta transgrediat materialiter, involuntariè, & consequenter absque culpa Theologica, ut primùm vidimus in illis, qui ea violant ex ignorantia



rantiâ facti, vel circumstantiâ particularis; & meritò asserimus contingere in iis, qui violant jus naturale quoad præcepta valdè remota à primis principiis, casusque multùm abstrusos, atque difficiles, de quibus Doctores disputant, an legis divinæ prohibitio ad illos se extendat, vel non? Sicut enim facientem quod in se est in inquisitione veritatis circa factum vel circumstantiam particularem DEUS non tenetur illuminare, sed permittit, ut inculpatè incidat in ignorantiam invincibilem, atque adeò ex errore legem suam materialiter violet: ita neque semper tenetur illuminare facientem quod in se est in inquirenda veritate circa res ad jus naturæ pertinentes; sed potest interdum permittere, ut inculpatè incidat in earum ignorantiam invincibilem, & hac ratione aliquod dicti juris præceptum ex errore materialiter transgrediatur. Itaque potentia observandi præcepta per se loquendo, & quoties illorum transgressio imputaretur in culpam, importat quidem præceptorum notitiam, per accidens tamen, quando illorum transgressio non imputatur in culpam, estquè solum illicita materialiter, talem notitiam non importat: quia tunc solum est potentia præcepta non transgrediendi formaliter, non autem est potentia non transgrediendi tam formaliter, quàm materialiter. Hæc autem, & non illa exposcit præceptorum notitiam.

Ad Confirm. fatendum est, ejusmodi opera esse haud dubiè intrinsecè mala, darique præceptum illa prohibens: Dico tamen interdum contingere, ut DEI permisso intrinseca eorum malitia unâque præcepti prohibentis existentia etiam post accuratè inquisitam veritatem operantem lateat. Neque hîc sequitur, ejusmodi præceptum non fore observatu possibile: ut enim sit possibile, non requiritur, ut homo semper habeat illius notitiam, sed sufficit, si eam toties habeat, quoties præcepti transgressio imputaretur in culpam: tunc autem certissimè habet, vel saltem habere diligenter indagandò potest. Sicut igitur non sequitur



quitur, præceptum aliquod juris positivi non esse observatu possibile, vel DEUM jubere impossibilia, quando homo invincibiliter ignorat illius præcepti existentiam: ita nil tale sequitur, quando ignorat invincibiliter, aliquod præceptum juris naturalis existere.

## §. IV.

*An juris naturalis invincibilis ignorantia excuset à peccato?*

## SUMMARIUM.

23. *Sententia Jansenii & aliorum negativa.* 24. *Eorum fundamenta ex S. Script.* 25. *Ex ratione.* 26. *Statuitur, & probatur Sententia affirmans ex Autoritate.* 27. *ratione.* 28. *ab absurdis sententia contraria.* 29. 30. 31. *Solvuntur Argumenta opposita.*

**XXIII.** **N**egat Cornelius Jansenius Iprarum Episcopus *lib. 2. de statu naturæ lapsæ c. 2. & seqq.* apud Gonetum *in Dissert. de Probabilitate a. 7. §. 2.* Negat insuper Sinnichius *in Saule Ex-Rege.* & quidam Wilhelmus Wendrochius, qui Theologum Salisburgensem se finxit, *in Dissert. de Probab. Epistola 5.* Montaltii subnexa. His accedit Antonius Celladeus, contra quem agit Terillus *in lib. de Reg. Morum.* Eundem errorem ante hos omnes erravit Lutherus carpens propterea Theologos Orthodoxos *in cap. 12. Genes.* per hæc verba: *scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas est (pergit nebulo) in Papa Scholis & Ecclesiis.* Luthero adhæsit Hieronymus Zanchius & ipse hæreticus, cujus verba refert Gonet *loc. cit. falluntur (inquit) Scholastici, cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo à peccato excusant, quia invincibilis est, ut loquuntur.*

**XXIV.** Ad suadendum hoc falsum dogma arguunt primo

cx



ex pluribus S. Script. locis, ubi multa ex ignorantia facta appellantur peccata. Ita David suas ignorantias inter peccata refert *Pf. 24. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne meminervis.* Deinde in lege veteri sacrificia fiebant non minùs pro ignorantia, quàm pro peccato: ut constat ex *Levit. 4. Lucæ 12.* dicitur de ser-vo, *qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Abimelech, dum Saram voluit accipere in uxorem, invincibiliter ignoravit, eam esse conjugem Abraham, & tamen hoc factum ipsius vocatur peccatum *Genesis 20.* Immò Judæi ex ignorantia crucifixerunt Christum testante Apost. *1. Corinth. 2. si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* & nihilominùs reprehenduntur ab Apostolorum principe Actor 3. quod Authorem vitæ interfecerint. Demum S. Paulus de semetipso fatur, quòd misericordiam DEI sit consecutus, quia ignorans fecerit in incredulitate, *1. ad Timoth. 1.*

XXV. Arguunt secundo in hunc modum argumento, quod est Achilles Jansenii. Quidquid est homini voluntarium, est ipsi imputabile: sed invincibilis ignorantia juris naturalis est homini voluntaria; ergo est ipsi imputabilis. Atqui ignorantia homini imputabilis eum non excusat à peccato; quidquid enim ex tali ignorantia agit, malè agit, culpabiliter agit. Ergò invincibilis ignorantia juris naturalis non excusat à peccato, *mai.* est certa. *mi. prob.* invincibilis ignorantia juris naturalis est effectus & pæna peccati originalis: ergo est nobis voluntaria voluntate capitis. Conseq. patet: nam eo ipso, quòd hominibus culpa Adæ sit hoc modo voluntaria, etiam id, quod ex ea profluit, ipsis esse voluntarium censei debet: sed culpa Adæ est hominibus voluntaria voluntate capitis; ergo &c. Ant. verò probatur: cognitio rerum ad jus naturale pertinentium est homini connaturalis, eique connaturaliter debita: unde nemo illâ caruisset, si fe-

E

licissi-



licissimus innocentiae status perseverasset : ergo ignorantia juris naturalis ratione peccati originalis, atque in poenam illius obfusa est humanis intellectibus, & consequenter vitiosa, mala, atque culpabilis est. Et hinc apparet, inquit, discrimen quod inter ignorantiam juris naturae, & juris positivi versatur, cur nempe illa, non autem haec sit vitiosa, & homini imputabilis? nam juris positivi cognitio non est humanae naturae connaturaliter debita: cum legum positivarum institutio pendeat ab extrinseco DEI beneplacito: est vero connaturaliter debita cognitio juris naturae: eo quod jus istud condatur cum ipsa natura, sitque in intimis humanae rationis visceribus radicum. Quapropter non juris positivi, sed juris naturae ignorantia est effectus & poena peccati originalis. Verum contra haec breviter

XXVI. Dico. Invincibilis ignorantia Juris naturalis excusat à peccato. Ita communis Catholicorum. Hodie praesertim, postquam Alexander VIII. Anno 1690. die 20. Decembris oppositam sententiam damnavit. Probatur Primo, Authoritate SS. PP. S. Chrysoft *homil. 13. in Epist. ad Rom.* ita habet: *Nemo unquam ignoranter peccavit &c. Si enim ignoranter peccaverunt, indigni utique erant, qui poenas darent.* S. August. *lib. 3. de libero arbit. cap. 19.* inquit: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis querere, quod ignoras.* Quis autem magis invitus ignorat, quam qui ignorantiam etiam per diligentem, immo diligentissimam inquisitionem veritatis vincere non potuit? Doctor Angelic. *q. 7. de pot. a. 7. ad 3.* ita pronuntiat: *Dicendum, quod ignorantia, quae est omnino involuntaria, non est peccatum &c. & in 1. 2. Q. 74. a. 1. ad 2. si defectus (inquit) apprehensivae virtutis nullo modo subjaceret voluntati, non esset peccatum nec in voluntate, nec in apprehensiva virtute, sicut patet in his, qui habent ignorantiam invincibilem.* Iterum *Q. 76.* ita claudit corpus Articuli. 3. *si sitialis*



lis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato. Neque distinguunt SS. Doctores inter invincibilem ignorantiam juris positivi, & juris naturalis, sed loquuntur universim de omni ignorantia invincibili. Et sanè nullam esse causam distinguendi, statim patebit. Quare

XXVII. Probatum secundo conclusio ratione fundamentali. Quidquid tollit voluntarium, excusat à peccato: omnis ignorantia invincibilis tollit voluntarium; ergo omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato. Minor est certa: quia voluntarium definitur *id, quod est à principio intrinseco cum cognitione*: ergo voluntarium necessariò importat cognitionem: cum nihil sit volitum, quod non præcognitum. Quidquid ergo tollit cognitionem, tollit voluntarium. Atqui omnis ignorantia invincibilis tollit cognitionem: quod enim ignoratur invincibiliter, nullo modo præcognoscitur; ergo omnis ignorantia invincibilis tollit voluntarium. Major, quam negant Adversarii apud Gonetum ubi suprâ §. 1. prob. primo. Hæc propositio: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium*, damnata est ab Ecclesia, ut suprâ meminimus §. 2. n. 9. ergo est certissimè falsa: ergo certissimè vera est hæc illi opposita: *Ad rationem & definitionem peccati pertinet voluntarium*. Ergo quidquid tollit voluntarium, tollit peccatum, & consequenter excusat à peccato. Probatum eadem Major secundo. Omnis actus moralis, & humanus est voluntarius: omne peccatum ab homine commissum est actus moralis, & humanus: ergo omne peccatum est voluntarium. Minor est certa: major probatur: omne liberum est voluntarium: omnis actus moralis & humanus est liber: ergo est voluntarius. Ex his syllogismis formo hunc tertium: quidquid aufert ab actu rationem liberi, aufert rationem peccati, & excusat à peccato:



peccato: quidquid tollit voluntarium, aufert ab actu rationem liberi, ergo quidquid tollit voluntarium, aufert rationem peccati, & excusat à peccato. Dices fortè, ad peccatum actuale satis esse liberum & voluntarium voluntate capitis, hec autem non auferri per ignorantiam invincibilem. Respondeo, hoc dicere esse plusquam absurdum. Quia plusquam certum est, ad culpam personalem requiri libertatem, & voluntarium personæ actuale, & in actu secundo: ut docet expressè S. August. *lib. de duabus animabus cap. 11.* illis verbis: *Nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propria voluntate.* Et quid multa? hæc propositio: *in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Hæc, inquam, damnata est ab Alexandro VIII. Anno ac die paulò antè memoratis.

XXVIII. Probatum Conclusio tertio ab absurdis. Nam si vera est sententia Jansenij: sequitur primo, esse illicitum in praxi amplecti opinionem probabiliorem, immò probabilissimam, relictà minùs probabili. Consequens est absurdum, & communi Theologorum adversum; ergo. Sequela majoris probatur: quia fieri potest, ut opinio probabilior, in mò probabilissima, sit reipsa falsa, & juri naturæ contraria, eo ipso, quòd sit opinio, quæ est essentialiter assensus fallibilis. In hypothesi igitur, qua talis sententia supponitur falsa, eam secutus in operando non excusatur à peccato: quia revera violat jus naturale. Violatio verò juris naturalis est semper peccatum, sive id jus operanti sit notum, sive ignotum quacunque ignorantia vincibili, vel invincibili, ut docet Jansenius. Sequitur secundo, hominem quandoque peccare necessariò, & inevitabiliter. Ostenditur. Da militem v. g. cui conscientia ex invincibili errore dicet, commilitonem in pugna  
gra-



gravissimè faucium, utque interficiatur, per omnia chara orantem, sibi hinc & nunc esse occidendum. Quid agat jam, ut evitet peccatum? si commilitonem non occidat, agit contra conscientiam, quæ præcipit, ut occidat: ergo peccat. Si verò occidat, agit contra jus naturale, quod prohibet, ne occidat: ergo iterum peccat. Sive igitur occidat, sive non occidat, peccat necessariò necessitate inevitabili. Sequitur tertio, temeritatis ac summæ imprudentiæ reos esse, quotquot scribunt de rebus moralibus, vel tractant publica munia ad justitiam pertinentia: ut Senatores, judices, causidici &c. Nam si quilibet error quantumcunque invincibilis circa jus naturale culpabilis est, tales moraliter certi sunt, se graviter quandoque lapsuros, licet accuratam, ne id fiat, diligentiam adhibuerint. Ergo scientes ac volentes sibi imponunt necessitatem peccandi. Ergo stultè & temerè suscipiunt ejusmodi munera: quippe à nemine citra peccatum administrabilia etiam adhibita magna diligentia. Idem valet de Medicis, Chirurgis, & alijs, qui gerunt officia, vel profitentur artes rei publicæ necessarias: nam fieri non potest, ut hujusmodi munera exerceant sine necessitate peccandi etiam contra jus naturale, si vera est sententia, quam impugno. Sequitur quarto, Sanctissimos, atque Doctissimos Ecclesiæ Doctores gravissimè peccasse scribendo & docendo, per quod tamen magnum meritum apud Deum, & insignem laudem apud homines sibi comparasse, hætenus semper existimati sunt. Immo sequitur, ipsos in suo peccato inforuisse, eique immortuos, atque damnatos esse. Utraque sequela, quæ procul dubio est absurdissima, probatur: SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Bernardinus, aliique Doctores de Ecclesia optimè meriti, docuerunt contradictoria etiam in quæstionibus ad jus naturæ spectantibus: ergo alterutri non solum ipsi errarunt contra jus naturale, sed etiam alijs, qui eos in speculatione & praxi sectantur, per sua scripta



scandalum, & occasionem similiter errandi, atque peccandi præbuerunt. Cùmque erronea sua dogmata nunquam retractaverint, sequitur, ipsos in peccato obstinatos, in eoque mortuos & consequenter damnatos fuisse.

XXIX. Neque probant aliquid fundamenta opposita. Ad loca sacræ script. & in primis ad illud Ps. 24. Respondeo, regium Prophetam loqui de ignorantia primitus vincibili, & culpabili. In eodem sensu accipiendum est, quod dicitur de servo ignorante voluntatem Domini sui Luc. 12. *Sed cur punitur ignorans?* (quærit Theodoretus apud D. Thom. in catena super Lucam) *quia cùm ipse potuisset (respondet) noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantia suæ causâ.* Sacrificia quoque in veteri lege offerri solebant ad expiandam ignorantiam vincibilem: ut docet S. August. Lib. de Natura & Grat. c. 17. *Aliud est (inquit ibi) non curâsse scire: quæ negligentia peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec posse.* De ignorantia Judæorû, qui Christum crucifixerunt, dubium non est, eam fuisse vincibilem. Idem dicendum, de ignorantia Pauli, cùm enim esset legis peritus, ac præfens Jerosolymis, dum Christus patravit miracula maxima: audiret præterea disputationes Apostolorum, & prædicationem S. Stephani, propriâ culpâ ignoravit Christum, ac veram Ecclesiam, quam persequebatur. Ad factum regis Abimelech dico, illum ex ignorantia invincibili Saram voluisse in uxorem accipere, atque ideo hac sua intentione non peccâsse Theologicè. Neque refert, id opus à DEO vocari peccatum, si contigisset: nam dicitur, futurum fuisse peccatum materialiter, atque hoc ipsum, ne fieret, voluisse DEUM in gratiam Abrahæ sui amici impedire. Alij, ut refert Gonet §. 3. existimant, dictam ignorantiam fuisse vincibilem, eò quòd ille Rex non satis diligenter inquisiverit, an Sara fuerit uxor Abrahæ, & ideo judicant, Abimelech verè fuisse peccaturum,



rum, si eam duxisset. Sive jam hoc, sive illud sit verum, allatum exemplum nihil favet Adversarijs. Nam si illa ignorantia dicatur vincibilis, perperam huc adducitur, & omnino præter rem: quia præsens controversia solùm est instituta de ignorantia invincibili. Si dicatur invincibilis, urget Obijcientes: cùm enim sit ignorantia facti, probat contra ipsos, ignorantiam invincibilem facti non excusare à peccato, quod tamen nobiscum affirmant. Et sanè cùm hoc, tum alia exempla ac testimonia S. Script. loquuntur ut plurimum de ignorantia facti, vel juris positivi, quam excusare à peccato, si sit invincibilis, etiam adversarij fatentur.

XXX. Jam ut solvatur argumentum ex ratione petitum, operæ pretium est ostendere, quam inconsequenter philosophentur Janenistæ, dum concedunt, invincibilem ignorantiam juris positivi esse inculpabilem, idque negant de invincibili ignorantia juris naturalis; & quàm nulla sit ratio disparitatis, quàm inter utramque reddere conantur. Afferro igitur, etiam juris positivi notitiam à Deo semel conditi, ac promulgati, ut hominem dirigat pro statu, in quo est constitutus, esse debitam naturæ innocenti, eique non nisi propter peccatum denegari posse. Unde si Adam non peccasset, non minùs omnium legum positivarum, quàm naturalium scientia fuisset imbuti: per ejus verò culpam factum est, ut utrimque cæcutiamus æqualiter. Cùm enim omnis miseria, & omne malum ab illo felicissimo statu debuerit exulare, etiam ignorantia juris positivi, quæ planè est magnum malum, in eo reperiri non potuit. Quòd ergo inveniatur in hoc statu naturæ lapsæ, effectus & pœna originalis peccati est. Confirm. Infidelitas negativa est pœna peccati originalis: ut docet S. August. *epist.* 10. & Sanctus Thomas 2. 2. 2. 10. a 1. sed infidelitas negativa est invincibilis ignorantia juris positivi, legis videlicet Evangelicæ; ergo aliqua invincibilis ignorantia juris positivi

tivi



tivi est pœna peccati originalis. Si aliqua; dic, quæso, cur non qualibet? nõne omnis defectus cognitionis naturæ innocenti debita est quædam illius miseria, & vulnus intellectûs, non minûs, quàm malitia, infirmitas, & concupiscentia sunt miseriæ, & vulnera appetitûs? sed istæ omnes sunt pœnæ peccati originalis; ergo & omnis ejusmodi defectus cognitionis, sive ignorantia. Itaque vel omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato, vel penitûs nulla, etiam secundùm adversariorum principia: quia vel omnis est pœna peccati originalis, vel penitûs nulla. Atqui non penitûs nulla invincibilis ignorantia à peccato excusat, ut ipsi concedunt: ergo omnis excusat. In forma argumenti concedo majorem, nego minorem, Ad hujus probat. conc. ant. nego Consequent. quædum probatur, nego mai. quia non omnes effectus, & pœnæ peccati originalis nobis censentur esse voluntariæ, atque culpabiles.

XXXI. Sanè si vera esset illa præmissa, sequeretur primo, motus concupiscentiæ non solùm eos, qui consensum voluntatis præveniunt, sed etiam, qui dissensui repugnant, esse formaliter & Theologicè peccata, hominique imputabilia: cùm fomes concupiscentiæ, sive appetitus sensitivi rebellio similiter ex primi parentis peccato oriatur. Sed consequens adversatur Trid. Concilio sess. 1. c. 5. dicenti, *concupiscentiam nocere non posse non consentientibus*. Sequeretur secundo, infidelitatem negativam esse pariter peccatum: quia & ipsa provenit ab originali peccato: sed hoc dicere repugnat definitioni Ecclesiæ, qua summi Pontifices §. 2. n. 9. relati damnârunt hanc propositionem Michaëlis Baij: *Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*. Sequeretur tertio, amentes & phreneticos verè & propriè peccare, dum loquuntur verba blasphemia, vel turpia: vel alios verberant &c. Immo cæcus à nativitate veram culpam contraheret, quando canem abacturus hominem fuste percuteret,

ret,



ret, quantumvis eum adesse invincibiliter nesciret. Amentia siquidem, phrenesis, & cæcitas, ex quibus illi miseri similia committunt, numerantur etiam inter effectus & pœnas peccati originalis. Has autem sequelas nemo sanæ mentis admiserit: ergo nec dictum Jansenij principium, ex quo deducuntur.

## ARTICULUS II.

## De Obligatione Conscientiæ Erroneæ.

**E**rroneam Conscientiam *cap. præced. art. 2.* illam esse diximus, quæ dicat esse licitum, quod est illicitum, vel illicitum, quod est licitum. Quod si ignorantia, sive error, ex quo nascitur hæc Conscientia, sit invincibilis, vocatur Conscientia invincibiliter erronea: si ignorantia, ex qua descendit, sit vincibilis, Conscientia vincibiliter erronea dicitur. Certum jam est, Conscientiam, quæ aliquid dicat agendum, vel omittendum per modum Consilij, ideoque *Consulens* vocatur, nullam inducere obligationem. Procedit igitur quaestio præsens de Conscientia erronea, quæ dicat aliquid tanquam ex præcepto agendum, vel omittendum. Dico de *Conscientia erronea*: nam rectam & veram obligare tam positivè, quàm negativè, fatentur omnes: idq; patebit ex dicendis. Nunc, ut ad rem ipsam veniamus, præcedat.

## §. I.

*Præmittuntur quædam de Ignorantia Vincibili.*

## SUMMARIUM.

1. *Quid sit ignorantia affectata, crassa, notabilis, levis?*
2. *An ignorantia vincibilis excuset à peccato?*
3. *Ignorantia primatùs vincibilis fieri potest invincibilis.*
4. *Similiter impotentia implendi præceptum liberè contracta fieri potest inimputabilis.*
5. *Inaqualitas peccatorum ex ignorantia.*

**I. D**escriptionem vincibilis ignorantia dedimus hoc *cap. art. 1.*

F

§. 1. n. 4.



§. I. n. 4. Dividi solet in *affectatam*, & *crassam*. *Affectata* est, dum quis datâ operâ vult ignorare. Et ideò malitiosè intermittit inquirere obligationem, quò liberius peccare possit, & ne fortè, si sciat veritatem, à legis transgressione abhorreat: ut, si quis consultò non velit scire, an contractus *A* sit usurarius, ut eum liberius, & cum minori Conscientiæ remorsu ineat. *Crassa* est, ad quam superandam nulla prorsùs diligentia fuit adhibita: ut si quis ex mera pigritia non inquisivit, an contractus *A* sit usurarius, vel non? Dicitur *crassa*: quia laborans hac ignorantia instar crassi, & pinguis hominis (inquit Castropalao) deses & piger est in ea depellenda. Dicitur præterea *supina*: quia sic ignorans more hominis supinè stertentis, & omnium rerum incurij, non curat amoliri ignorantiam. Ulteriùs Tamburinus *Lib. 2. Decal. c. 1. §. 7. n. 22.* vincibilem ignorantiam dividit in *notabilem*, & *levem*, sive *tenuem*. *Notabilis* est, quando quis adhibet aliquam diligentiam in inquirenda veritate, sed non tantam, quanta moraliter censetur sufficere ad inventionem illius. Ut si quis interrogat quidem, an contractus *A* sit usurarius? sed similibus rerum non sufficienter peritum. Ignorantia *tenuis* est, quando quis adhibet diligentiam mediocrem, eamque sufficientem ad comparandam veritatis notitiam, illâ tamen minorem, quam adhibuisset, si fuisset rigidè accuratus. ut si quis inquiret apud hominem mediocriter doctum, an contractus *A* sit iniquus? cum potuisset consulere doctiorem. Ex his omnibus sola ignorantia affectata est directè, & in se voluntaria; reliquæ indirectè, & in causa, videlicet in omissione vel omni diligentia in inquisitione veritatis, ut ignorantia *crassa*; vel sufficientis, ut *notabilis*; vel accuratioris, ut *levis*.

II. Atque hinc facilè constat, vincibilem ignorantiam non tantùm non excusare à culpa, sed & ipsam esse malam, atque culpabilem, quòquocunque tollit, notitiam rei cogniti necessariæ, & quam



quam operans scire tenetur. Patet hoc: quia datur præceptum affirmativum, quo quilibet obligatur non ignorare ea, quæ ad implenda cætera præcepta sunt cognitu necessaria: ergo hæc voluntariè ignorare, quod fit per ignorantiam vincibilem, est malum, & verè culpabile. Jam verò vincibilem ignorantiam à peccato non excusare, sive opus per culpabilem ignorantiam commissum esse pariter culpabile, similiter ostendo: transgressio cujuscunque præcepti ex hac ignorantia profecta est voluntaria: ergo est culpabilis. Conseq. patet. Ant. prob. quidquid procedit à principio intrinseco cum cognitione & deliberatione, est voluntarium: sed transgressio præcepti ex tali ignorantia procedit à principio intrinseco cum cognitione & deliberatione, saltem virtuali & interpretativa, in quantum ignorans, licèt actu non habeat scientiam, atque noticiam obligationis, eam tamen potuit, ac debuit habere, vel fortè etiamnum posset habere, si vellet. ergo transgressio præcepti ex dicta ignorantia est voluntaria. Confirm. qui vult antecedens, vult etiam consequens natum ex illo sequi: sed ignorans culpabiliter vult directè, vel indirectè suam ignorantiam tanquam antecedens; ergo vult etiam violationem præcepti, quæ est consequens, & effectus inde sequi natus.

III. Potest autem contingere, ut ignorantia, quæ ab initio fuit vincibilis, evadat postmodum invincibilis, nec amplius imputari ad peccatum possit, licèt imputaretur ab initio. Ostenditur. Supponamus Cajum heri ex vincibili ignorantia erroneè judicasse, summptionem sacræ Eucharistiæ sub utraque specie necessariam esse necessitate medii: hodie verò hominem non amplius habere ullum medium eam ignorantiam depellendi, eò quòd non offerat se ullus vir doctus v. g. vel liber, quem consulat: sicut fieret, quando duceretur captivus à Turcis. Quòd si hodie Caium hujus culpabilis ignorantia poeniteat, ita, ut eam per veram contritio-



nem unâ cum cæteris peccatis seriò retractet, ex vincibili mutatur in invincibilem, & inculpabilem. Nam in primis hic & nunc vinci non potest à Cajo ad eam vincendam vel paratissimo. Deinde hoc ipso, quòd elicita perfecta contritione justificetur, neque ignorantia, neque aliud quidquam illi amplius imputatur ad culpam. Immò, si Cajus ex tali ignorantia, vel errore desideret morti proximus communionem sub utraque specie, hoc desiderium ei non potest imputari ad peccatum, tamen si quid cupiat re ipsa prohibitum. Ratio est: quia error, ex quo talis actus elicatur, non est amplius vincibilis, sed evasit invincibilis, & propter seriam retractationem deinceps inimputabilis.

IV. Quod de vincibili ignorantia, etiam de impotentia implendi præceptum, quam quis liberè, & culpabiliter contraxit, asserendum est, eam videlicet non amplius imputari ad novum peccatum, postquam seriò fuit retractata voluntas, per quam fuit contracta. Declaro rem in exemplo. Petrus & Paulus sacerdotes navigant in Indiam: dum versantur in medio mari, Paulus tædio correptus horarum Canonicarum, ne quotidiano illarum penso assiduè vexetur, & suum, & Petri Breviarium clam in Oceanum projicit, atque adeò liberè, & procul dubio culpabiliter aufert sibi potentiam persolvendi officium Canonicum, quod tamen persolvere tenetur. Accidit postea, ut à Petro salubriter increpitus, ac reprehensus resipiscat, factum seria pœnitentia detestetur; immò ab eo sacramentaliter absolvatur. In hoc eventu impotentia recitandi horas Canonicas Paulo non amplius imputari potest ad culpam: quia cessavit esse voluntaria: nam efficax retractatio pravæ voluntatis, qua fuit inducta, facit, ut moraliter loquendo perinde se habeat, ac si esset necessaria, non libera. Quapropter etiam omnes omissiones recitationum, quæ inde sequuntur, evadunt involuntariæ, & inculpabiles: sicut erant



erant culpabiles, quæ accidebant, antequam prior voluntas retractaretur; utpote voluntariæ. Adde, quod Paulo intercluderetur omnis via ad justificationem per contritionem, vel per Sacramentum penitentiae obtinendam, quamdiu careret Breviario, & quod peccaret necessario, quoties etiam invitus non recitaret, si ejus carentia non obstante prædicta retractatione adhuc imputaretur ad culpam. Sed Conseq. est absurdum; ergo. Dices. Omissio horarum, quamvismodò sit necessaria in se, est tamen Paulo libera in causa, sicut erat ab initio: ergo non minus peccat, dum eas hodie non recitat, quam ab initio. Respondeo neg. Ant. nam eo tempore, quo Paulus se reddidit impotentem, omissio fuit libera in causa tam moraliter, quam Physicè existente: nunc autem, quamvis ea causa, videlicet carentia breviarii, etiamnum remaneat Physicè dependenter à priori voluntate, moraliter tamen post efficacem retractationem ita se habet, ac si nunquam fuisset liberè posita, sed aliunde necessario existeret. Quapropter omissio horarum Paulo nec voluntaria est modo, nec libera, & consequenter ad peccatum inimputabilis.

V. Corollarium. Quò magis, vel minus culpabilis est ignorantia, eò gravius, vel levius solet esse peccatum, quod ex illa admittitur. Rem clarè perspicies in hoc casu sequenti. Cajus, Titius, Quintius, & Sempronius ignorant in certa vigilia, esse tunc diem jejuniij. Hinc carnes jubent inferri mensæ, prædèntque liberaliter. Cajus ignorat ignorantia affectatâ: quia consultò, ne teneatur abstinere à carnibus, vel ut vesci possit liberius, & citra remorsum conscientiae, non inquisivit, quamvis ad inquirendum excitaretur suborto dubio, vel suspitione, forsitan esse diem jejuniij. Titius laborat hîc ignorantia crassâ: nam licet incidere cogitatio de obligatione inquirendi, an sit dies jejuniij? nihilominus non inquisivit, idque ex mera negligentia atque desidia. Quintius



tius interrogavit quidem, an esset dies jejuniij? sed talem, qui similia non sufficienter sciret, v. g. puerum, vel ancillam: & ideo habet ignorantiam diei jejuniij notabilem. Etiam Sempronio incidit dubium, an esset jejunium? & ideo interrogavit vicinos, cum facile potuisset interrogare Parochum, vel alium in similibus magis versatum, quod tamen facere ex quadam negligentia omisit. Hic solum est in Levi ignorantia. Si jam quæras, quomodo peccent hi quatuor? Respondeo, Cajum, Titium & Quintium peccare mortaliter: gravius tamen Titium, quam Quintium; Cajum verò gravissimè. Sempronium dico solum delinquere venialiter. Ratio est: quia Cajus ignorat ignorantia maxime culpabili: Titius, & Quintius ignorantia graviter culpabili; gravius tamen culpabili Titius: ergo Cajus gravius peccat, quam cæteri, Titius gravius, quam Quintius, omnes tamen mortaliter. Conseq. constat, quia peccatum ex ignorantia graviter culpabili est mortale, majus tamen vel minus secundum proportionem voluntarij, quod auget, vel minuit ignorantia. Tandem Sempronius solum commisit negligentiam levem in inquirenda obligatione jejunandi, atque adeo ex ignorantia leviter solum culpabili carnis vescitur, ergo vescendo committit culpam solum levem, ac venialem. Quia negligentia & ignorantia levis diminuit peccatum usque ad veniale. Vide de hac re Tambur, *Lib. 1. Decal. c. 2. §. 10.*

## §. II.

*An liceat operari contra Conscientiam Erroneam?*

## SUMMARIUM.

6. Objectum Voluntatis est bonum & malum ut ratione cognitum. 7. Non licet operari contra Conscientiam Erroneam. 8. Quædam objectiones. 9. Solvuntur. 10. An agere contra Conscientiam sit speciale peccatum? 11. Cujusnam speciei sit peccatum agere contra Conscientiam? 12. Agere



12. Agere contra Conscientiam modò est mortale, modò veniale. 13.  
 14. Quid, si Conscientia proponat objectum sub ratione mali in genere? 15. Ut quis peccet contra Conscientiam Erroneam, debet esse liber. 16. An saltem ex dispensatione Divina agere contra Conscientiam possit fieri licitum?

VI. **O**bjectum, quod voluntas nostra prosequitur, est bonum; quod averfatur, est malum: & quidem utrumque non absolute & secundum se, sed ut ratione cognitum. Voluntas enim, cum sit potentia cæca, nihil amplectitur, aut respuit, nisi ex directione intellectus. Unde fit, quemadmodum docet S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ut voluntas toties peccet, quoties in operando à ratione discordat: idque, sive ratio erret, sive non: quia videlicet ab immediata & proxima regula operandi, quæ est dictamen rationis, deflectit. Si itaque ratio aliquid practicè proponat ut bonum (tametsi ipsa sit malum) & voluntas feratur in contrarium, peccat. Rursus, si ratio dicat, aliquid esse malum (licet in se sit bonum) idque voluntas amplectatur, similiter peccat: quia quantum in ipsa est, vult malum contra prima Synteresis principia: *bonum est prosequendum, malum fugiendum*. Bonum, inquam, & malum non tantum secundum se, sed etiam per accidens ex propositione intellectus. & ideo

VII Dico. Conscientia Erronea obligat negativè, id est, ne contra ipsam agamus, sive: non licet operari contra Conscientiam erroneam. ita S. D. cit. universaliter affirmans: *omne, quod est contra Conscientiam, peccatum est*. Et in fine corp. ejus art. inquit: *Unde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans à ratione sive recta, sive errante, semper est mala: item Quodlib. 3. a. 27. omnis Conscientia, sive recta, sive erronea, sive de se malis, sive iudifferentibus, est obligatoria, ita ut qui contra Conscientiam facit, peccet*. Estque hæc sententia communis inter Catholicos. Probat illam Doctor Angel ex verbis Apostoli ad Rom. 14. *omne, quod non est*



*est ex fide, peccatum est: ubi ly non ex fide idem sonat, ac: non ex dictamine Conscientie, sive, non secundum Conscientiam* Nam in hoc loco script. exponunt Origenes, SS. Chrylостomus, Ambr. & Ansel & alij apud Bossium *Parte 1. tit. 1. § 6. n 19* Apostolu enim agit ibi de Conscientia erronea quorundam Neo-Christianorum, qui putabant, idolothyta esse cibos immundos, ac sibi vetitos, sicut Judæis in lege veteri, eisq; nihilominus vescabantur. Ratio porro Conclusionis est hæc. Agere contra præceptum divinum, quod vel revera est, vel esse existimatur, repugnat legi, & dictamini naturali: sed qui operatur contra Conscientiam erroneam, agit contra præceptum divinum, quod esse existimat. ergò operari contra Conscientiam erroneam repugnat legi, & dictamini naturali. ergo non licet. mai. est certa. mi. ex eo colligitur, quòd Conscientia obliget in virtute legis Divinæ, si que participatio & intimatio ipsius: *non enim Conscientia* (inquit iterum D. Thom. in 2. dist. 39. a. ult. ad 3.) *dictata, liquid esse faciendum hac ratione, quia sibi videtur, sed hac ratione, quia à DEO præceptum est.* Dum igitur operanti dictat erronea Conscientia, esse mentiendum v. g. ut avertatur damnum proximi, isque judicat, ad mentiendum se obligari, & tamen non mentitur, agit contra præceptum Divinum, quod esse, & à quo se hîc & nunc urgeri existimat.

VIII. Obijcies primo. Dictet alicui erronea Conscientia, hîc & nunc esse furandum ex bonis improbi Divitis ad subveniendum probis pauperibus. In hoc casu non peccat, qui furtum intermit: ergo licitum est, omittere id, quod præcipit, erronea Conscientia. Conseq. patet. Ant. prob. quia nemo peccat omittere opus lege æterna prohibitum: sed furtum est tale opus; ergo. Secundo, Conscientia erronea non derivatur à lege æterna: ergo non obligat in virtute illius. Ergo contra ipsam agere non est illicitum.



licitum. ant. inde colligitur, quòd à lege per essentiam vera & sancta non possit derivari aliquod iudicium falsum, & erroneum. Tercio. Conscientia erronea, quandoque præcipit aliquid contrarium præcepto DEI: ergo tunc saltem non obligat, & consequenter licitè agitur contra ipsam. Ant. est certum. Conseq. prob. quia præceptum potestatis inferioris non obligat, si contrarietur præcepto potestatis superioris, ut docet S. August. apud D. Th. a. 5. ita si aliquid jubeat proconsul, quod prohibet imperator, præceptum proconsulis non obligat: atqui præceptum Conscientiæ est præceptum potestatis inferioris comparatum cum præcepto DEI, quem penes est summa potestas, ergo. &c.

IX. Respondeo ad primam objectionem. neg. ant. ad probationem distinguo mai. nemo peccat omittendo opus lege æterna prohibitum, quando ab intellectu repræsentatur ut prohibitum conc. quando repræsentatur ut præceptum neg. mai. atqui furtum, tamen si sit opus lege æterna prohibitum, nihilominus hîc & nunc in casu nostro non repræsentatur voluntati ut prohibitum, sed tanquam honestum, & lege æterna præceptum. Ad secundum dico, tamen si dictamen erroneæ Conscientiæ non derivetur à lege æterna, hîc & nunc tamen apparere operanti ut derivatum ab illa, & consequenter ut obligans in virtute illius. Solutio est Divi Th. *loc. cit. ad 1.* Ad tertium omisso Ant. neg. Conseq. In hujus probatione distinguo mai. non obligat, quando cognoscitur esse contrarium præcepto potestatis superioris conc. quando id non cognoscitur, immò creditur esse præceptum superioris, neg. mai. Atque hinc est, quod dicit S. D. ad. 2. *si aliquis crederet, quòd præceptum proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum proconsulis contemneret præceptum Imperatoris.* Idem existima de illo, qui iudicat præceptum Conscientiæ errantis esse præceptum DEI. *Nam quando ratio erronea proponit aliquid ut præceptum*



DEI, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.  
loc. cit.

X. Corollarium I. Agens contra Conscientiam non committit duo peccata, unum peculiare contra præceptum non agendi contra Conscientiam, & alterum contra præceptum virtutis, quod Conscientia five vera, five erronea dicat esse observandum. Sayrus in *Clavi reg. lib. 1. c. 4. n. 21. & 22.* Th. Sanchez. *lib. 1. Decal. c. 11. n. 5.* Laym. *lib. 1. tract. 1. cap. 4.* & alii communiter. Ratio est: tum, quia præceptum non agendi contra Conscientiam est generale, & inclusum in quolibet alio præcepto: ergo non habet peculiarem, atque distinctam obligationem. Ergo nec ejus transgressio est peccatum distinctum à transgressione alterius præcepti. Tum, quia adversari dictamini Conscientiæ est de ratione communi peccati: ergo actus inde non sumit specialem rationem malitiæ. Siquis itaque contra dictamen Conscientiæ die festo non audit Sacrum, is non est reus duplicis peccati, sed tantum unius contra præceptum Ecclesiæ. Contrarium tenuit Adrianus in 4. *Sent. tract. de Confess.* asserens, eum, qui scienter operatus est contra Conscientiam, id in confessione tenei exprimere.

XI. Corollarium II. Agens contra Conscientiam erroneam, five vincibilem, five invincibilem, peccat peccato illius speciei, intra quam peccari Conscientia erroneè dicat. D. Th. ubi supra ad 3. Sanchez *loc. cit.* Sayrus *n. 19.* Bossius §. 15. *n. 72.* Ratio est: quia voluntas amplectitur malum, sicut apprehenditur: ergo agens quantum in se est, vult tale peccatum committere, quantum, & cujus speciei dicat esse Conscientia. Quare existimans ex erronea Conscientia, esse jejunandum in Vigilia Epiphaniæ, peccat contra temperantiam, si non jejunet. Qui arbitratnr, esse obligationem mentiendi, ut proximum liberet ex vitæ periculo, peccat



peccat contra misericordiam si non mentiatur. Qui accedit ad suam uxorem credens, esse non suam, committit adulterium. Quia in omnibus his casibus operans existimat, se transgredi præcepta temperantiæ, misericordiæ, justitiæ &c. & consequenter peccare contra istarum virtutum specificam rationem.

XII. Corollarium III. Quando Conscientia dicit, aliquid esse agendum, vel omittendum sub mortali, tunc illud omittere, vel agere oppositum erit peccatum mortale; siue in se bonum sit, siue indifferens, siue veniale. Et hinc, si credere existentiam Purgatorii V. G. Conscientia prohiberet sub mortali, vel diceret, exspuere in templo, vel dicere verbum otiosum esse mortale, peccares mortaliter, si durante tali Conscientia crederes, dari purgatorium; exspueres in templo; vel proferres verbum otiosum. Quod si e contra Conscientia præcipiat, vel prohibeat aliquid sub veniali, agere contra talem Conscientiam erit peccatum veniale. Et hoc etiam verum est, quando id quod proponit Conscientia ut veniale, in se sit mortale, nisi hoc proveniat ex ignorantia vincibili: hæc enim cum non excuset à peccato, nequaquam efficiet, ut id quod ex se est mortale, ratione ipsius evadat veniale. Sanchez *loc. cit.* Sayrus *n. 15.* Navar *in manual. prælud. 9. n. 9.* Ratio dictorum est: quia voluntas, sicut advertimus supra, fertur in objectum, prout est in apprehensione. Unde, si objectum apprehendatur ut malum, idque voluntas amplectatur, quantum in ipsa est, prosequitur malum, grave; si apprehendatur ut grave; leve. Si ut leve.

XIII. Corollar. IV. Quod si Conscientia aliquid prohibeat tanquam malum ita confusè, ac genericè, ut non distinguat, an illud facere sit peccatum mortale, vel veniale, paulò operosius discernitur, quanta sit culpa contra talem Conscientiam operari. Ejusmodi Conscientia ut plurimum deprehenditur in hominibus



rudibus, ac rusticis, dum in DEUM jurant, creaturas execrantur, die festo laborant, turpia, vel impudica loquuntur &c. nam raro contingit, ut dubitent, dum similia committunt, an peccent mortaliter, vel venialiter, sed præcisè existimant, se peccare. Quòd si tamen de hoc dubitent, certum est apud omnes, illos peccare mortaliter, si, priusquam operantur, rem non examinent: quia exponunt se periculo peccandi mortaliter. Itaque præciso hujusmodi dubio, Navarrus, Valentia, Salas, & alii relati à Castro-palao *Disp. 1. de Consc. puncto 3. n. 5.* existimant, operari contra talem Conscientiam esse solum veniale peccatum. Ratio est: quia voluntas amplectens malum in communi non amplectitur malum peccato veniali majus: quia aliàs non esset commune & indifferens ad mortale & veniale. Verùm pace eorum, qui utuntur hoc argumento, dixerim. Videor mihi pari jure inde posse inferre, in dicto casu ne quidem peccari venialiter, quod nemo concesserit. Ostendo. Voluntas amplectens malum in communi non amplectitur malum peccato mortali minus. Patet: quia aliàs malum in communi non esset commune, & indifferens ad mortale & veniale: vel esset commune, & non esset commune. Datur enim ratio, cur malum in communi non sit amplius commune, si voluntas illud amplectens eo ipso censeatur amplecti malum peccato veniali majus; maneat verò commune, si illud amplectens censeatur amplecti malum peccato mortali minus? Certè tam peccatum mortali minus, quàm veniali majus sunt membra dividenda, ac species subalternæ mali in communi ceu generis ad illas contrahibilis. Huic fundamento addunt, quòd apprehensio malitiæ in genere sit apprehensio malitiæ adhuc imperfectæ, & consequenter insufficientis ut in actum, vel omissionem actûs refundat gravitatem mortalem. Ergo solum refundit malitiam, seu gravitatem venialem. Et hanc  
senten-



sententiam Sanchez ubi supra n. 6. & Castropalao dicunt esse probabilem.

XIV: Verum probabilius est, contra prædictam Conscientiam operari esse peccatum mortale. Ita primùm citt. Præterea Sayrus cap. cit. n. 17. Valquez in 1. 2. disp. 59. cap. 3. Bonacina disp. 2. de peccat. quest. 4. pu. 6. n. 22. Ratio est: quia qui sic operatur sine ulteriori malitiæ discussione, quam adhibere tenetur, se temerè committit periculo peccandi mortaliter. Ergo peccat mortaliter: quia exponere se periculo peccandi mortaliter est peccare mortaliter. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* Confirm. Qui statuit peccare in genere non determinans materiam, circa quam vult peccare, is peccat mortaliter: ut habent Sanchez & Bonacina. Ergo pariter peccat mortaliter, qui in certa materia operatur contra Conscientiam, & solùm apprehensa ratione peccati in genere non discernit, an peccet mortaliter, vel venialiter. Consequentia videtur legitima: quia non minus in casu consequentis, quàm antecedentis se liberè quis conicit in periculum peccati mortalis. Hanc sententiam Bossius ubi supra n. 79. iudicat esse tutiorem, quàm priorem; istam verò quotidianæ praxi magis accommodam: quia durum videtur, omnia ferè peccata rusticorum, aliorumque rudium, puta, turpiloquia, iuramenta per DEUM, imprecationes, mendacia & similia malitiæ mortalis in Confessionali damnare: quod tamen fieri in sententia posteriori oportet. Nam id genus homines ut plurimum, dum dicta peccata committunt, solùm apprehendunt, illa esse mala, & de gravitate, vel levitate eorum non cogitant.

XV. Corollarium V. Detentus in carcere, ubi non celebratur Missa, si existimet, se peccare, dum die festo non audit Missam, non peccat. Pariter, qui manu ab aliis violenter motus



percuteret Clericum, non peccaret, licet erroneè judicaret, se peccare. Sanchez *cap. cit. n. 3.* Castropal. *puncto 5. n. 5.* Bonac. *n. 24. & 26.* Laymann *Lib. 1. c. 1. n. 2.* ubi propter paritatem rationis mox dandæ idem docet de scrupuloso, qui involuntarias passiones, & distractiones suas in oratione peccata esse arbitratur. Ratio istorum est: quia, ut quis agendo contra Conscientiam erroneam peccet, debet ejus actio, vel ommissio actionis esse libera. Atqui ommissio sacri ejusmodi captivo, & percussio Clerici ad hanc violenter moto non est libera; ergo. Et hinc Bonacina infert, eum, qui domi æger decumbit, peccare, quando die festo existimat se peccare non audiendo sacrum. Rationem affert ex discrimine inter captivum, de quo diximus, & ægrotum. Primus, inquit, non peccat defectu libertatis, & voluntarij; secundus verò non videtur excusandus à peccato, cum absolutè loquendo libertatem habeat audiendi Missam, quamvis eam audire non possit absque sanitatis dispendio. Verùm contingere potest, ut infirmus quoque careat & potentia, & libertate requisita ad audiendum sacrum. In quo casu non minùs excusabitur à peccato, dum arbitratur se peccare non audiendo, quam compactus in carcerem. *Bossius §. 6. n. 24.*

XVI. Corollarium VI. Neque Divinitùs est dispensabile, ut operari contra dictamen Conscientiæ sit licitum. Ratio est: In re intrinsecè mala DEUS dispensare non potest: sed agere contra Conscientiam est intrinsecè malum; ergo in hoc DEUS dispensare non potest. mai. est certa. mi. prob. velle objectum cognitum sub ratione mali est intrinsecè malum: sed agere contra Conscientiam est velle objectum cognitum sub ratione mali; ergo agere contra Conscientiam est intrinsecè malum. mai. iterùm constat. mi. ex eo patet: quòd agens contra Conscientiam velit objectum cognitum sub ratione prohibiti per præceptum Divinum, quod vel reverrà est,



râ est vel saltem esse existimat, & quatenus illud æternæ legi contrarium apprehendit. Deinde: implicat, ut DEUS hominem simul obliget, & deobliget. Sed hoc faceret, si daretur in nostro casu dispensatio; ergo. mi. prob. nam inprimis obligaret eo ipso, quod staret actuale dictamen Conscientiæ hîc & nunc prohibentis actionem, vel omissionem actionis tanquam malam, & illicitam. Quamdiu enim stat ejusmodi dictamen, tamdiu obligat DEUS: quia Conscientia est quædam actualis intimatio, & participatio legis divinæ hîc & nunc obligantis. Deobligaret verò per dispensationem: quia per hanc relaxatur lex, & subditus eximitur ab obligatione, atque rigore illius. Bossius *loc. cit. n. 21.* Clariss. P. Paulus Mezger *in Tract. de Consc. Diss. 11, a. 3. §. 3. n. 11.*

## §. III.

*Utrum Erronea Conscientia obliget, ut secundum ipsam operemur?*

## SUMMARIUM.

17. Conscientia Consulens non obligat. 18. Conscientia vincibiliter errans ad sui sequentiam non obligat. 19. Perplexitas ex illa proveniens non excusat à peccato. 20. An detur medium inter operari juxta Conscientiam, & non operari contra Conscientiam? 21. An possit prohiberi Actus dilectionis DEI? 22. tenemur operari secundum Conscientiam invincibiliter erroneam. 23. Quomodo hæc Conscientia conformis sit legi Divinæ? 24. Plus obligat, quam præceptum Superioris. 25. Perplexitas ex illa orta tollit libertatem peccandi. 26. An Conscientia erronea possit deponi prohibitu? 27. An opus conforme Conscientiæ invincibiliter erranti sit honestum, & cujus honestatis? 28. An agens ex invincibili ignorantia incurrat Ecclesiasticam Censuram?

XVII. **V**isum est hætenus, peccatum esse, contra Conscientiam erroneam operari. Nunc explicandum est, an similiter



similiter illicitum, an verò licitum sit erroneæ Conscientiæ dictamini in operando se conformare? In qua re certum est, quando hæc Conscientia ex errore seu vincibili, seu invincibili proponit objectum ut honestum, ac licitum, quod tale non est, per modum Consilij, & non ut præceptum, neminem obligati, ut secundum ejus dictamen operetur. Ita si Conscientia erroneè dicat, non quidem præceptum, consultum tamen esse, hic & nunc futuri ad dandam eleemosynam, non teneris furari Patet: nam si Conscientia etiam non erronea aliquid proponat ceu rem Consilij, id non tenemur amplecti, ergo neque tenemur, dum quid simili ratione representat erronea. Hoc ipso enim, quod sit merè consulens, non habet vim obligandi: ut jam supra advertimus. Est igitur quaestio de Conscientia erronea, quæ aliquid dicat faciendum ut præceptum, vel omittendum ut prohibitum.

XVIII. Dico primo, Conscientia vincibiliter errans non obligat positivè, id est, ut eam sequamur, & faciamus, quod præcipit, vel omittamus, quod prohibet. Ita cum D. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. Sayrus ubi *suprà* n. 8. Sanchez. *cap.* 11. *cit.* n. 12. Castrop. *puncto* 2. n. 3. Terillus *de Consci. probab.* q. 17 & alij communiter. Probatur. Qui sequitur in operando dictamen Conscientiæ vincibiliter erroneæ, peccat: ergo hæc Conscientia non obligat, ut secundum ipsam operemur. Consequentia patet: quia nemo obligari potest ad id, quod si faciat, peccat. Ant. ostenditur. Da aliquem, cui Conscientia ex vincibili ignorantia dicat, hic & nunc esse mentiendum. Hic, si non mentiatur, peccat, ut constat ex dictis *prac.* §. quia agit contra Conscientiam. Si mentiatur, peccat similiter: ergo verum est Ant. Quòd peccet, prob. ille peccat, cui malitia mendacij est voluntaria: sed huic mentienti malitia mendacij est voluntaria; ergo peccat. mai. est certa. mi prob. culpabiliter judicat, hic & nunc esse mentiendum; ergo malitia menda-



mendacij est ei voluntaria. Ant, suppono. nam antequàm mentiretur, tenebatur diligenter inquirere, an esset obligatio mentiendi. Quod cum non fecerit, peccat, dum iudicat, dari præceptum mentiendi: quia agit temerariè, & se liberè præcipitat in periculum proximum peccandi. Consequentia probatur: mendacium sequitur ex illo culpabili iudicio, quod cum sit error vincibilis, neque tollit voluntarium, neque excusat à peccato, ut supra ostendimus. ergo mendacium, eiusque malitia mentienti non desinunt esse voluntaria, sed sunt ei voluntaria in causa. Verùm contra hæc

XIX. Objicies primo: Si in prædicta hypothesis erronea Conscientia non obligat positivè, ejusmodi homo erit perplexus, sive obligatus ad contradictoria. Sed consequens est absurdum; ergo. Sequela maj constat: nam si mentiatur, peccat: si non mentiatur, peccat. Ergo quidquid ex duobus contradictoriis elegerit, peccabit, & quocumque se verterit, peccatum non evadet, sed necessariò peccabit. Respondeo, solum fore perplexum secundum quid, & ex suppositione ab ipsomet liberè posita, culpabili videlicet ignorantia legis, quam potest, & tenetur cognoscere, quàmque ob propriæ voluntatis malitiam non vult cognoscere: non autem fore absolutè perplexum, & simpliciter. Unde neque peccabit necessariò necessitate antecedenti, sed solum necessitate consequenti, & ipsi voluntaria. Quemadmodum ille necessariò peccat tempore Paschali, sive accedat, sive non accedat ad S. Eucharistiam, qui sciens volens peccatum mortale confiteri neglexit. Ut igitur laqueos, quibus semet implicuit, exuat, debet conscientiam ex propria culpa errantem deponere. Sylvester *in summa. V. conscientia.* Sayrus *loc. cit. n. 10.* Sanchez *loc. cit.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 4. n. 4.* Castrop. *loc. cit.*

XX. Objicies secundo. Qui obligatur ad non omittendum mendacium, obligatur ad mentiendum; sed is, cui dicitur

H

CON-



conscientia vincibiliter errans, esse mentiendum, obligatur ad non  
omittendum mendacium: ergo obligatur ad mentiendum. Sed  
hoc est obligari positivè ad faciendum id, quod præcipit Consci-  
entia vincibiliter erronea; ergo. mai. videtur clara. mi. probatur.  
Obligatur ad non agendum contra illam Conscientiam: ergo obli-  
gatur ad non omittendum mendacium. Pater consequ. quia omitte-  
re mendacium est agere contra Conscientiam: ergo non omittere  
est non agere contra conscientiam: ergo obligatur ad non omitten-  
dum mendacium. Ante solutionem adverte, quando Conscientia  
est recta, vel invincibiliter erronea, non dari mediũ inter hæc duo:  
*Operari juxta Conscientiam, non operari contra Conscientiam.* Quis-  
quis igitur obligatur non operari contra Conscientiam, obligatur  
hoc ipso operari juxta dictamen Conscientiæ. Sic eo ipso, quod sis  
obligatus non operari contra Conscientiam, quæ ex invincibili  
ignorantia dicitur, hanc hostiam (quæ re ipsa non est consecrata)  
hic & nunc esse adorandam, teneris operari juxta hanc Conscien-  
tiam, hostiamque adorare. E contra, dum Conscientia est er-  
ronea vincibiliter, datur medium inter operari juxta Conscien-  
tiam, & non operari contra Conscientiam, videlicet deponere  
Conscientiam. Quare non eo ipso, quod obligemur non ope-  
rari contra hanc Conscientiam, obligamur operari juxta illam  
faciendo, quod præcipit, omittendo, quod prohibet, sed tenemur  
deponere Conscientiam. Nunc in forma Respondeo ad obie-  
ctionem. Omittam mai. distinguo mi. obligatur ad non omitten-  
dum mendacium, nisi sit obligatus ad deponendam Conscien-  
tiam, quæ dicitur, non esse omittendum mendacium, conc. si sit  
obligatus ad deponendam Conscientiam, neg. mi. & distinguo  
consequens. Ergo obligatur ad mentiendum, si non sit obliga-  
tus ad deponendam Conscientiam, conc. si sit obligatus, nego con-  
sequentiam. Atqui est obligatus, ut diximus, ad deponendam

Con-



Conscientiam. Ad probationem mi. distinguo Ant. obligatur ad non agendum contra dictam Conscientiam, & simul ad illam deponendam conc. secus nego Ant. & distinguo consequens. Ergo obligatur ad non omitendum mendacium, si non obligetur ad deponendam Conscientiam conc. si sic obligetur, nego consequentiam. Et hinc patet ad reliqua.

XXI. Objic. tertio. Non omne opus, quod fit juxta dictamen Conscientiæ vincibiliter errantis, peccatum est: ergo non semper peccat, qui secundum hanc Conscientiam operatur. Conseq. constat. Ant. prob. elici potest actus Charitatis DEI juxta dictamen Conscientiæ vincibiliter errantis; ergo non omne opus, quod fit juxta illam, est peccatum. Consequentia videtur legitima: quia actus Charitatis DEI tam non potest esse inhonestus, quam odium DEI non potest esse honestum. Ant. prob. Interdicat Superior Religioso cui piam prostrate valetudinis sub peccato, ne durante gravissima infirmitate sese exercent in actibus Charitatis, & ita vires præsertim capitis, adhuc magis debilitet. Supponamus jam, hominem ex vincibili ignorantia existimare, quòd ab æterna felicitate sit excludendus, nisi hîc & nunc actum dilectionis DEI eliciat. Quid nunc obstat, quo minùs erroneum istud dictamen secutus diligat DEUM? planè nihil. Ergo potest elici actus Charitatis juxta dictamen Conscientiæ vincibiliter errantis. Respondeo neg. Ant. ad prob. nego rursus Ant. quòd dum probatur, nego, substantiam perfectæ dilectionis DEI posse prohiberi à quoquam. Prohiberi ad summum potest circumstantia talis actus v. g. justò intensior applicatio capitis: quapropter argumentum innititur falso supposito. Quòd si etiam permittamus, Religiosum judicio vincibiliter erroneo existimare, ipsammet substantiam dilectionis sibi esse veritam, non poterit stante hoc judicio, quo culpabiliter judicat, substantiam perfectæ



dilectionis esse rem DEO execrabilem, elicere talem actum, utpote impossibilem cum omni eo, quod est DEO contrarium, cuiusmodi esset in hac absurda hypothese ipsamet inhonestas illius erroneè representata. Immo tametsi esset iudicium inculpabile, & error invincibilis, necdum posset ille homo DEUM supernaturaliter diligere. Ratio est: quia ut eliciatur actus Charitatis supernaturalis, necessarius est actus fidei, quo credatur, DEUM esse, & se querentibus, ac consequenter diligentibus, remuneratorem esse. Hic autem actus fidei stare non potest cum prædicto iudicio; ergo.

XXII. Dico secundo. Conscientia invincibiliter erronea obligat positivè, ut eam sequamur agendo, quod præcipit, omitendo, quod prohibet. Ita D. Th. art. supra cit. & Authores relati, estque doctrina certa apud Catholicos. Ratio colligitur ex dictis. Voluntas nostra eo modo tenetur obedire legibus, & præceptis, quo ipsi repræsentatur per intellectum eorum obligatio: ergo non solum se conformare tenetur veræ legi, seu præcepto, sed illi quoque, quod ei prudenter ut verum repræsentatur, licet à parte rei verum non sit. Atqui ab intellectu per Conscientiam invincibiliter errantem voluntati hoc modo repræsentatur Divinum præceptum, ejusque obligatio: ergo eidem se conformare tenetur, & consequenter sequi dictamen Conscientiæ inculpabiliter erroneæ, non ut erroneæ, sed ut veræ prudenter exiitimatæ. Quapropter hæc obligatio, ut apparet, erroneæ Conscientiæ convenit solum per accidens, & ex suppositione, quòd credatur esse recta, cui convenit obligare per se. *Recta* (inquit S. D. q. 17. de Verit. a. 4. ) *ligat simpliciter, & per se, erronea autem secundum quid, & per accidens.*

XXIII. Obijcies. Conscientia invincibiliter erronea non est conformis legi æternæ: ergo non tenemur eam sequi in operando. **Consequentia constat:** Ant. prob. dictamen præcipiens id, quod  
lex



lex æterna prohibet, non est conforme legi æternæ: sed Conscientia invincibiliter erronea est dictamen præcipiens id, quod lex æterna prohibet: v. g. mendacium: ergo hæc Conscientia non est conformis legi æternæ. Respondeo, si sit sermo de ultimo & practico dictamine Conscientiæ invincibiliter errantis, neg. Ant. ad hujus probationem distinguo mai. dictamen præcipiens id, quod lex æterna prohibet tam per accidens, quàm per se, non est conforme legi æternæ, conc. quod prohibet per se, non verò per accidens, neg. mai. vel subdistinguo, non est conforme legi æternæ ut obliganti per se conc. ut obliganti per accidens nego. Sed Conscientia invincibiliter erronea præcipit id, quod lex æterna prohibet tam per accidens, quàm per se neg. quod prohibet per se, non autem per accidens, immò per accidens præcipit, conc. mi. &c. Lex æterna absolute spectata, & voluntati sine errore repræsentata prohibet procul dubio, quidquid est intrinsecè malum, per accidens tamen, & ex suppositione erroneæ repræsentationis non solum non prohibet, sed etiam præcipit id, quod est intrinsecè malum, si ab operante invincibiliter, ac prudenter credatur esse bonum. Unde mendacium etsi per se loquendo postulet prohiberi, quatenus tamen substat prudenti, & inculpabiliter erranti iudicio, id non postulat, neque mentiri in hoc casu peccatum est: immò erit actus formaliter honestus, & meritorius, v. g. misericordiæ vel charitatis, si existimes, te ad id ex horum virtutum præcepto obligari. Nam mentiens in eo casu similem format discursum: *illud hîc & nunc licitè, & obligatorie dico, quod DEUM à me dici velle prudenter judico: sed ego prudenter judico, DEUM velle, ut hîc & nunc dicam falsum. Quia prudenter judico, mendacium in his circumstantiis esse à DEO præceptum: ergo hîc & nunc licitè, & obligatorie dico falsum.* Hæc conclusio est ultimum dictamen Conscientiæ invincibiliter erroneæ prudens, & practice verum, ac consequenter legi æternæ conforme, atque in ejus virtute obligatorium.



XXIV. Corollarium I. Conscientia invincibiliter erronea plùs obligat, quàm præceptum superioris: & ideò subditus tenetur relicto mandato Prælati parere Conscientiæ contrarium præcipienti. Sanchez *ubi supra* n. 16. Bonac. *de peccatis disp.* 2. pu. 6. n. 17. Castrop. *pun.* 6. n. 4. Clariss. P. Paulus Mezger. *loc. cit. in priori §.* & alij. Ratio est, tum quia, qui sequitur dictamen hujus Conscientiæ, non peccat; peccat autem, qui contra illud operatur. Quod necessario facit subditus, dum Prælato obedit. Tum quia obligatio Conscientiæ est virtualiter obligatio legis Divinæ, atque adeò prævalere debet obligationi præcepti humani, quæ est in mandato superioris: *obedire enim DEO oportet magis, quàm hominibus*, ut dicitur Actor. 4. nec Legislator inferior derogare potest legi superioris. Quòd si Conscientia subditi contraria præcepto Prælati sit vincibilis (ut plerùmque contingit) præsumi debet pro præcepto Prælati, quandiu non præcipit aliquid manifestè illicitum; eique deposita Conscientia obediri. Sayrus *cap. cit. n. 35.* Castrop. *loc. cit.*

XXV. Corollarium II. Qui per errorem invincibilem existimat, utrumque oppositorum esse peccatum: v. g. qui putat, mentiri esse contra veracitatem, non mentiri contra misericordiam, non peccabit, quidquid elegerit de duobus extremis: nisi fortè unum videatur majus peccatum, quàm alterum. Tunc enim tenebitur relinquere id, quod est majus, & ideò peccat, si non relinquat. Sanchez. n. 14. Laym. *L. I. tract. I. c. 4. n. 4.* Illsung. *Theolog. pract. tract. I. disp. I. a. 3. n. 16.* Ratio est: quia ejusmodi homo est simpliciter perplexus, nec habet sufficientem libertatem ad evitandum peccatum: cum ei ab intellectu non proponatur ut moraliter vitatu possibile. Sive enim hoc, sive illud conetur eligere, videt, sibi malum necessario utrobique imminere. Et hinc patet, cur peccet non eligendo minus peccatum præ majori, supposito,



posito, quòd illud dignoscat: quia nempe ad illam electionem est præditus sufficienti libertate, & agit imprudenter contra illam regulam: *inter duo mala minus est eligendum.*

XXVI. Corollarium III. Qui Conscientiam erroneam sine rationabili fundamento, & solùm temerè circa aliquod objectum sibi formavit, potest eam pro libitu, & absque ulla nova ratione deponere. Ratio est: quia per quæ res quælibet nascitur, per eadem dissolvitur: ergo sicut ejusmodi Conscientia est orta sine ratione & fundamento, ita potest sine illis dissolvi, atque deponi. Si verò talis Conscientia ex fundamento, quod operanti videbatur rationabile, fuit concepta, etiam deponi non potest sine fundamento, & ratione saltem probabili in contrarium. Ratio est: quia alioquin operans temerè, & imprudenter procedit, seque præcipitat in periculum deponendi Conscientiam veram. Et idè operari depositâ in hunc modum Conscientiâ peccatum est, & quidem ejusdem malitiæ, ac speciei, cujus est operari contra Conscientiam nondum depositam. Ita docet relatis pluribus alijs Sanchez *loc. cit. n. 10. & 11.* Bonac. *pu 6. n. 30.* Castrop. *ubi supra n. 5.*

XXVII. Corollarium IV. Actus, quo voluntas Conscientiæ inculpabiliter erranti, dum dicitur aliquid esse bonum, quod est peccatum, se conformat, est bonus, & ejusdem honestatis, cujus sunt opera virtutis, ad quam pertinere existimatur. Ita furtum, ad quòd quis errore invincibili teneri se credit, ut possit largiri elemosynam, est opus bonum, & virtutis misericordiæ. Sanchez *cit. n. 17.* Bonac. *n. 23.* & alij. Ratio est: quia objectum dat speciem actui humano, prout ab intellectu repræsentatur: ergo si objectum repræsentetur ut bonum & honestum, voluntas verò in illud, prout substat ejusmodi repræsentationi, feratur, tunc actum reddit bonum, ac honestum: & quidem illa honestate, quam respicit virtus, ex cujus præcepto se operans obligari arbitratur.

XXVIII.



XXVIII. Corollarium V. Qui ex ignorantia invincibili agit contra id quod sub comminatione censuræ præceptum, vel prohibitum est, is non incurrit censuram, sive illa ignorantia sit ignorantia juris, sive facti. Laym. *Lib. 1. tract. 5. parte 1. c. 5. n. 7.* ex communi. Et ideò non solum si nescias, percussione Clerici sub pœna excommunicationis esse prohibitam; sed etiam, si nescias, esse Clericum, quem percutis, utroque casu excommunicationem effugies. Habet hoc etiam locum in ignorantia concomitante. Nam Cajus v. g. Clericum cædens, quem ignorat esse Clericum, non incurrit excommunicationem, tamen si animò sit ita comparatus, ut nihilominus cæderet, quamvis sciret esse Clericum, quem hic & nunc arbitratur esse Laicum. Ratio est: quia præterquam, quod laborans ignorantia invincibili non censeatur esse contumax externè contra præceptum Ecclesiasticum, quomodocunque in affectu interno sit constitutus, etiam non agit voluntariè circa objectum, quod hic & nunc actualiter ignorat. Oppositum dicendum est, si Cajus cognoscat, percussum esse Clericum, isque verè sit Clericus, non tamen ille, quem intendebat percutere, v. g. si volens percutere Petrum Clericum percutiat Paulum Clericum, quem putat esse Petrum Clericum. Ratio est: quia sic sciens ac volens verè percutit Clericum, atque committit Sacrilegium, propter quod lata est excommunicatio. Ludovicus de Scildere *tract. 1. de Conse. cap. 2. n. 17.*

### ARTICULUS III. De Conscientia Recta.

#### SUMMARIUM.

1. *Ultimum dictamen Conscientia recta debet esse certum, & infallibile.*
2. *Secus non ultimum.* 3. *Unde desumatur Rectitudo Conscientie?*
4. *Solvitur*



4. Solvitur Objectio. 5. Cur conscientia dicatur practice, vel speculative vera, aut falsa?

I. **R**ectam Conscientiam, sive ultimum dictamen practicum, in quo sita est recta conscientia, oportere esse verum, certum, & infallibile, communis est omnium ferme sententia: idque merito. Nam in primis omnis actus Prudentiæ est verus, certus & infallibilis: sed Recta Conscientia est actus Prudentiæ; ergo est vera, certa, & infallibilis. *mi.* ostensa est supra c. 1. a. 1. n. 5. *mai.* probatur: omnis actus virtutis intellectualis est verus, certus, & infallibilis: omnis actus Prudentiæ est actus virtutis intellectualis; ergo omnis actus Prudentiæ est verus, certus & infallibilis. *mi.* tam certa est, quam certum est, Prudentiam esse virtutem intellectualem. *mai.* ex eo constat, quod virtus intellectualis sit, *qua anima verum dicit affirmando, aut negando*, ut habet Philosophus in 6. *Ethicor.* & consequenter exposcit actum, & objectum verum ac certum: nam secus confunditur cum opinione, cujus quemadmodum objectum, ita & actus incerti sunt, atque fallibiles. Atque hinc planum est, certitudinem Conscientiæ, quam adstruimus, esse simul objectivam & formalem. Objectiva est, quia objectum, quod dicit illicitum, infallibiliter est licitum, quod illicitum, est illicitum. Formalis est, quia non patitur secum consistere ex parte assensus ullam formidinem de opposito. Deinde certitudo, & infallibilitas rectæ Conscientiæ ex eo satis evincitur, quod sit legis Divinæ participatio, à qua tanquam à sua causa exemplari derivatur, & exemplatur: juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quæ verba D. Th. ita exponit. *Quasi diceret lumen rationis, quod in nobis est, in tantum nobis potest ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, à vultu tuo derivatum.* Cum ergo regula exemplaris, sive lex æterna sit vera, certa & infallibilis, con-



scientiam quoque rectam, utpote conformem suo exemplari, veram, certam, & infallibilem esse necesse est.

II. Dicta sunt hæc de dictamine Conscientiæ simpliciter ultimo, sive de illo, quod proximè regulat operationem honestam. Nam si sermo sit de dictaminibus prævijs, & non absolutè ultimis Conscientiæ, quæque inferri solent ex principiis solùm directis, circa eandem actionem particularem; sicuti pluribus explicabitur de Conscientia probabili, certum est, illa neque semper certa esse, neque infallibilia. Pater hoc. Sit Conscientia dictans licitum esse pingere in die festo: hoc dictamen potest esse certum, & infallibile, vel incertum, & fallibile juxta qualitatem videlicet præmissarum, ex quibus infertur: In hoc syllogismo: *Omne opus non servile mihi licitum est in die festo. Pingere est opus non servile: ergo pingere mihi licitum est in die festo.* Incertum est atque fallibile: quia est conclusio illata ex principiis solùm directis, quæ non ambo sunt certa: nam licet *major* sit certa, *minor* tamen est merè probabilis, & consequenter incerta, atque fallibilis. Formo jam alium discursum: *Omne opus, quod omnibus inspectis prudenter judico esse licitum, mihi licitum est in die festo. Sed ego hic & nunc, omnibus inspectis, prudenter judico, quod pingere sit opus licitum; ergo pingere mihi licitum est in die festo.* Et hæc conclusio dictamen est Conscientiæ simpliciter ultimum, supponens ex natura rei illud, quod in priori Syllogismo deduximus, tanquam præmissam objectivam, estque certum & infallibile; quia infertur ex principiis reflexis certis & infallibilibus: nam *major* est principium reflexum synteresis. *Minor* est cognitio experimentalis reflexa similiter certa; sicut videbimus loc. cit. Ergo verum est, dictamen Conscientiæ simpliciter ultimum esse certum, & infallibile, secus non ultimum, quando videlicet principia directa, ex quibus proximè deducitur, non sunt certa & infallibilia.

III.



III. Hic jam oritur dubium, quænam sit mensura veritatis & rectitudinis, quæ reperitur in recta Conscientia? Aliqui ob fundamentum, quod numero sequenti proponemus, veritatem conscientiæ desumunt ex habitudine conformitatis ad objectum. Verùm Aristoteles, & D. Th. eam constituunt in habitudine ad appetitum rectum. Verba Philosophi lib. 6. Ethicor. cap. 2. sunt hæc: *activæ mentis veritas est consentanea appetitui recto.* Quæ exponens Doct. Angel. lect. 2. *bonum*, inquit, *præctici intellectus non est veritas absoluta, sed veritas consequenter se habens, id est concorditer ad appetitum rectum.* Et in 1. 2. quæst. 111. a. 3. ad 2. *In his autem, quæ sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti.* Mensura igitur rectæ Conscientiæ est rectus appetitus finis debiti, atque vel maximè finis ultimi. Quare illud dictamen Conscientiæ dicendum est rectum, quod homo sincerè affectus erga finem ultimum post omnia diligenter pensata infert ex principiis moralibus invincibiliter existimans, opus à se hîc & nunc exequendum Divinæ legi, quâ rationalis creatura in finem ultimum dirigitur, esse conforme. Ratio hujus doctrinæ optimè petitur ex discrimine, quod inter judicium speculativum & dictamen, sive judicium practicum versatur. Veritas, quæ est in judicio speculativo, non est causa & mensura veritatis reperiæ in suo objecto, sed vicissim objectum est causa, atque mensura veritatis reperiæ in judicio. Ita non ideo verum est, hominem esse animal rationale, quia id enuntiat de illo propositio creati intellectus, sed ipsamet propositio ideo vera est, quia homo est animal rationale, ipsaque objectivæ huic veritati commensuratur. In judicio practico oppositum contingit: nam veritas ipsius est causa & mensura veritatis, quæ est in objecto. Hoc patet in artefactis & ideatis. Nam domus v.g. suam veritatem, & rectitudinem habet per conformitatem ad regulas Architectonicas, quæ



sunt iudicia practica, & ad exemplar ideæ, quod est in intellectu Architecti: e contra regulæ, ipsaque idea non sunt veræ ac rectæ per habitudinem conformitatis ad domum regulatam, ideatamque, sed per conformitatem ad finem intentum ab Architecto. Cum itaque Conscientia sit iudicium practicum Prudentiæ, proximæque regula, atque mensura actuum humanorum, veritas eius, & rectitudo non ab actu, quem regulat, ejusve objecto, sed e contra veritas & rectitudo actus atque objecti à recta Conscientia petenda est.

IV. Obijcies. Veritas omnis iudicij enuntiativi sumitur, per ordinem ad objectum: sed Conscientia est quoddam iudicium enuntiativum, ut est manifestum, ergo veritas Conscientiæ sumenda est per ordinem ad objectum. Mai. est Aristot. Lib. 1. Periherr. cap. 8. absolutè pronuntiantis: *ex eo enim, quod res est, vel non est, enuntiatio redditur vera vel falsa.* Neque valet, si respondeas, *maiorem esse veram*, si loquatur de veritate omnis iudicij speculativi, non autem practici, quale est iudicium Conscientiæ. Nam contra est, quod enuntiationes Ethicæ, Medicæ, atque Theologicæ sint iudicia practica; quippe elicita ab habitibus formaliter practicis, & nihilominus earum veritas desumatur per habitudinem conformitatis ad res, sive objecta. Ante solutionem adverto, iudicium Conscientiæ considerandum esse dupliciter, videlicet in præcisa ratione iudicij, & quatenus enuntiat prædicatum de subiecto. Deinde sub ratione regulæ proximæ, & in quantum est actualis intimatio, & applicatio Divinæ legis ad operationem particularem. In prima consideratione sequitur conditionem aliarum cognitionum speculativarum, atque ad instar earum profuæ veritatis mensura habet objectum. In secunda consideratione, quæ est propriè huius loci, sumitur ut verè practicum, & cum habitudine ad voluntatè, qua debitus finis intenditur. Atque ut sic veritatem,

tem,



tem, ac rectitudinem ei competere per ordinem ad debiti intentionem finis asserimus. Nunc ad object. *dist. mai.* veritas omnis iudicij enuntiativi, ut est præcisè enuntiativum, desumitur per ordinem ad objectum, *concedo*, ut est regulativum proximè alicujus operationis, *nego mai.* Sed Conscientia est quoddam iudicium enuntiativum & simul regulativum proximè operationis particularis *conc.* præcisè enuntiativum, *neg. mi. & dist.* Conseq. ergo veritas Conscientiæ, ut est iudicium enuntiativum, sumenda est per ordinem ad objectum *conc.* ut est regula proxima operandi, *nego* consequentiam. De cognitionibus Ethicæ, Medicæ, & Theologiæ dico, eas versari circa objectum in universali, nullique mutationi obnoxium: v. g. *colere amicitiam est honestum: usura est illicita. &c.* Unde tametsi sint practicæ, sortiuntur nihilominus pro suæ veritatis mensura veritatem objecti. Aliter se res habet in iudicio pratico Conscientiæ, quatenus practicum est: cum enim sit circa objectum singulare, contingens atque mutabile ob varietatem circumstantiarum (quemadmodum ceinitur in exercitio similitum actionum: *hic & nunc est jejunandum: hic penitens est absolvendus: hic contractus à me nunc licitè celebratur &c.*) non potest ex objecto obtinere veritatem, & certitudinem immobilem, qualis inveniri debet in actu Prudentiæ: & consequenter eam sortitur per habitudinem conformitatis ad rectam intentionem finis.

V. Ex dictis colligitur ratio, quare Conscientia interdum dicatur practicè vera, speculativè falsa, & econtra practicè falsa, speculativè vera: item practicè & speculativè vera, practicè & speculativè falsa: Practicè vera, & speculativè falsa est, quando omnibus ritè pensatis dictat, actum esse conformem debitæ intentioni finis, & interim tam actus, quàm objectum secundum se aliter se habent, quàm ipsa enuntiat. Talis Conscientia fuit Jacobi accedentis ad Liam. dictavit enim ex recta intentione finis ultimi, stu-



dióque divinam voluntatem implendi, accessum ad hanc fæminam hîc & nunc esse licitum: at objectum secundum se non ita, ut enuntiavit, se habuit: cum Lia non fuerit vera uxor. Practicè falsa, & speculativè vera est, si objectum quidem secundum se sit tale, quale esse enuntiat; actus tamen, ejusque exercitium, quod dicitur, à voluntate debitum finem intendente discorder. Exemplum est in eo, qui ex culpabili ignorantia credit jurare esse semper illicitum, & nihilominus confirmandæ veritatis gratiâ jurat. Hic Conscientia enuntiat jurare esse licitum. Quod planè ita se habet ablicite, atque adeò vera est speculativè. Sed quoniam, ut est regula talis actionis, non commensuratur rectæ intentioni finis ultimi, practicè falsa est. Practicè & speculativè vera est Conscientia, quando & res ita se habet secundum se, prout ipsa enuntiat, & actio circa rem exercenda recto appetitui finis est consona: ut, dum quis die festivo Judicat, esse honestum & obligatorium audire sacrum, secutusque tale judicium audit sacrum. Practicè & speculativè falsa est, quando neque objectum à parte rei ita se habet, sicut enuntiat, neque ipsa debiti finis intentioni conformis est: velut contingit in eo, qui ex vincibili errore existimat, mendacium in casu necessitatis esse licitum, actûque mentitur. Illud tandem adverte, Conscientiam invincibiliter erroneam semper esse rectam: at nihilominus in divisione Conscientiæ esse membrum condistinctum à Conscientia recta, seu vera: quia nomine Conscientiæ erroneæ venit illa omnis, quæ continet errorem, sive is practicus sit, sive speculativus. Per veram autem, sive rectam intelligitur ea, quæ omnis erroris tam speculativi, quam practici immunis est.

CAP.



CAPUT III.  
DE CONSCIENTIA  
DUBIA.

**I** Ametsi Conscientia Dubia, ut supra aduertimus, non sit verè atque formaliter Conscientia; cùm Conscientiam oporteat esse iudicium positivum, ac practicum, quorum nihil de dubio propriè dicto, sicut statim docebimus, affirmari potest, nihilominus de illa differere ad nostrum institutum vel maximè pertinet: tum quia communiter à Doctoribus inter membra dividenda Conscientiæ & ipsa referri consuevit hætenus: tum quia multa in ejus tractatione occurrunt, quæ faciunt ad notitiam dicendum de Conscientia Probabili præferunt. Primum igitur, quod hîc in examen vertimus, est, an licitum sit operari cum Conscientia dubia? Alterum, quibus modis, & ex quibus principijs Conscientia dubia sit dependenda? ubi plurima ad praxim utilia Corollaria deducuntur.

ARTICULUS I.

*An liceat operari cum Conscientia Dubia?*

§. I.

*Præmittitur Definitio, & Divisio Dubij.*

SUMMARIUM.

1. *Varia definitiones Dubij.*
2. *Explicatur ampliùs natura Dubij.*
3. *Quando tentatus circa Fidem de illa dubitet?*
4. *Quid sit dubium negativum, & positivum?*
5. *Quid speculativum, & practicum?*
6. *Quid Dubium Juris, & Facti?*
7. *Quid Dubium formale, & Objectivum? item: cur aliqui raro, aliqui sæpè dubitent?*

I. Autho.



I. **A**uthores in definitione Dubij non omnes conveniunt. Verum discordia in modo loquendi versari, non in re ipsa videtur. Vasquez apud Joann. de Cardenas in *Crisi Theolog. parte 1. disp. 6. c. 1.* definit, quod sit *pendere intellectum in utramque partem contradictionis, & neutri assensum prestare.* Th. Sanchez lib. 1. *Decal. c. 9. n. 2.* ait, *dubium esse, quando intellectus pendet in equilibrio in neutram partem potius inclinans.* Juxta Francisc. Bardi *Discept. 5. de Conscient. dubia:* *dubium est quadam suspensio intellectus manentis in equilibrio inter duo contraria, & non assentientis, neque dissentientis.* Terillo de *Reg. Morum q. 50.* Est *vacillatio ac hesitatio animi in utramque partem contradictionis circa questionem propositam, & non solutam.* Alij aliter definiunt. Nulla ex allatis definitionibus est reiicienda: quia omnes, si ritè pensentur, in eundem sensum conspirant, suumque definitum ab omni alio benè discriminant.

II. Porrò ex illis tria eruuntur ad essentialem conceptum dubitationis necessaria. Primum est, suspensio judicij in utramque partem contradictionis, ita ut dubitet intellectus, *an Cæli sint liquidi?* Requiritur, ut neque dicat: *Cæli sunt liquidi:* neque dicat: *Cæli non sunt liquidi.* Nam si alterutrum judicet, tollitur æquilibrium, hæsitatio, ac vacillatio ipsius circa veritatem objecti in definitione Dubij inclusa: quia jam figitur in determinato judicio de veritate unius, & de falsitate alterius contradictorij. Secundum est cogitatio de utroque extremo contradictionis, v. g. de fluiditate, & non fluiditate Cælorum: dubitatio quippe dicit ordinem ad veritatem utriuslibet partis per modum sollicitæ inquisitionis, & velut interrogationis, quænam sit vera? & consequenter respicit, an & quænam motiva pro decisione quæstionis existant? Qua propter si intellectus de partibus contradictorij nihil omninò cogitaret, non diceretur dubitare, & tamen verum esset, eum,



eum, tam de liquiditate cœlorum, quàm de non liquiditate suspendere iudicium. Tertium, quod ad rationem Dubij requiritur, est, ut suspensio iudicij fiat ex defectu motivi actualiter determinantis ad assensum, vel dissensum. Nam quando ista suspensio provenit ex alia causa, v.g. ex distractione intellectûs ad alia objecta, tollitur conceptus dubitationis propriè dictæ. Tunc igitur intellectus propriè dubitat, quando propositis ambobus contradictionis extremis ideò non assentitur, non dissentitur alterutri, quia caret sufficienti motivo, quo ad ferendum iudicium actualiter determinetur, & quia vel explicitè, vel implicitè, ac virtualiter reputat, rem esse incertam, neutramq; contradictionis partem mereri, ut de ipsa feratur iudicium. Et hæc est dubitatio verè moralis, libera, humana, dubitantique imputabilis, & qualem hoc loco explicare voluimus.

III. Corollarium. Nemo dubitat in fide, qui circa aliquod mysterium illius tentationes patitur, dummodò argumenta, quæ apparent difficilia, vel expressè contemnat, vel non ita curet, ac si objectum propositum esset incertum, & non sufficienter dignum, ut ei prudens assensus præbeatur. Ratio est: quia hic nondum hæsitat, aut titubat modò in hanc, modò in illam contradictionis partem; aut ideò suspendit assensum, quòd ullò modò reputet, se carere motivis ad illam sufficienter determinativis, sed quòd existimet v.g. præceptum de eliciendo assensu fidei hîc & nunc non urgere. Quòd si e contra in tali dispositione animi ruminet argumenta mysterio fidei adversa, ac si essent alicujus momenti, & non profus contemnenda etiam in conspectu argumentorum stantium pro veritate, & certitudine mysterij, procul dubio propriè dubitat, dubitandòque peccat contra fidem: quia motiva fidei affectivè minoris aestimat, quàm ut in illa feratur tanquam summè digna assensu, proptèrque ea contemnat argumenta contraria.

K

Hujus



Hujus autem dubitationis malitia adhuc clarius conspicitur, quando insuper accedit iudicium de insufficientia motivorum ad assensum fidei; quia signatè iudicat, mysterium ad credendum non esse sufficienter propositum, sed esse rem incertam, ac dubiam. Et hoc est sine controversia peccatum infidelitatis. Ratio est: quia licèt hic non eliciat dissensum positivum contra articulum fidei, habet tamen iudicium erroneum de ejus infallibilitate, quæ est etiam de fide.

IV. Jam ut inveniatur Divisio Dubij, notandum est, suspensionem iudicij de partibus contradicti-onis dupliciter posse accidere. Primo ob defectum omnis motivi tam ad assensum, quàm ad dissensum impellentis. Secundo ob æqualitatem motivorum, & rationum utramlibet partem contradictionis pari efficacia svadentium. Exemplum primi est, dum quis proposita quæstione, *an astra sint paria, vel imparia?* neque hoc, neque illud iudicare potest: quia pro neutra parte habet motivum ferendi sententiam. Exemplum secundi est, quando proposita quæstione, *sitne licitum habere plures præbendas, necne?* occurrunt argumenta utrinque paria, vi quorum intellectus non magis impellitur ad affirmandum vel negandum unum, quàm alterum, atque adeò de neutro audet ferre iudicium. Quando suspensio iudicij evenit priori modo, vocatur *Dubium negativum*. Si secundo, dicitur *Dubium positivum*. Et hæc est prima divisio Dubij. Dubium negativum suapte naturâ fortius est, quàm Dubium positivum: nam dubium tantò est fortius, quantò difficilius vincitur: sed dubium negativum difficilius vincitur, quàm positivum. Quia intellectus positive dubitans habet aliqua motiva assentiendi, vel dissentendi: negativè dubitans omni penitùs huiusmodi motivo destituitur. Tantò autem difficilius vincitur dubium, quantò minus motivi, & fundamenti ad assensum, vel dissensum habetur.

V. Ulte-



V Ulteriùs dividitur Dubium in Speculativum, & Practicum. Dubium Speculativum est, quo dubitatur de re, vel actione quappiam absolutè, ac velut in genere. V.G. an licitum sit die festivo iter agere? an liceat die jejunii comedere ova, & lactinia? Dubium practicum est, quo dubitatur de actione ut hîc & nunc, pensatis omnibus circumstantiis exercenda. V. G. an tibi hoc die festo, in hoc negotio, in hac occasione liceat iter facere? an hoc die jejunii, in hac provincia, in hac occupatione &c. sit licitum ova, & lactinia comedere? Hanc Dubii divisionem velut ineptam rejicit Lorca relatus à Bardi ubi suprâ c. 1. n. 9. ex hac ratione. Dubium Speculativum nunquam est aliud à practico: ergo perperam dividitur dubium in speculativum, & practicum. consequat. Ant. prob. illo ipso dubio, quo dubitatur circa rem, vel actionem in universum, etiam dubitatur circa rem, vel actionem singularem ac individuum sub ea ratione communi directè contentam. ita hoc ipso, quod dubitem, an certa species contractus V.G. sit licita, etiam dubito, an hic individuus contractus sub illa specie directè contentus sit licitus. Repugnat enim dubitare de honestate speciei, & non dubitare de honestate individui sub specie directè contenti. Et consequenter repugnat, dubium speculativum esse aliud à practico. Verùm malè rejicitur hæc nostra divisio: cum sit ab omnibus recepta, procul dubio non merè gratis. Itaque Respondeo ad argumentum contrarium neg. Ant. hujus probat. dist. illo ipso dubio &c. etiam dubitatur circa rem, vel actionem individuum sub ratione communi directè contentam, quamdiù sub illa sic manet contenta, conc. quando propter specialem rationem, & accessum novæ circumstantiæ non ampliùs continetur sub tali ratione communi neg. Hoc autem per sæpè contingit. Omissis plurimis, sit unicum exemplum. Dubitat quidam absolutè in Quadragesima, an ob certam ægritudinem, qua



premitur, liceat comedere carnes? Planè, quamdiù non occurrit specialis ratio, vel circumstantia, eo ipso, quòd dubitet universaliter de omnibus, qui tali morbo vexantur, an ipsis sit licitum comedere carnes? etiam dubitat, an sibi sit licitum? quia hæc individua comestio adhuc directè continetur sub ratione communi, de qua dubitat. Consulatur jam Medicus, isque judicet, ægrum esse talis constitutionis, ut hæc invaletudo in ipso sit sufficiens ratio excusandi ab observantia præcepti Ecclesiastici, quamvis non esset in robustioribus. In hoc eventu iudicium Medici, & specialis circumstantia complexionis minùs vegetæ efficiunt, ut hæc individua comestio non sit ampliùs ejusdem rationis cum aliis, quæ continentur sub dicta ratione communi, neque retineat eundem statum in intellectu ægroti, quem priùs habebat, sed certò prudenter existimetur esse licita, atque adèò non contenta sub objecto dubii, quod ante interrogationem Medici fuerat conceptum. Adde, quod dubium speculativum non in eo differat necessariò à dubio practico, quasi objectum illius esset genus vel species, hujus verò objectum esset singulare, vel individuum sub genere vel specie contentum, quemadmodùm Lorca videtur supponere: sed in eo, quòd dubium speculativum versetur circa rem absolutè spectatam, atque præcisam ab extrinsecis circumstantiis: Dubium verò practicum sit circa rem, sive operationem, ut vestitam omnibus circumstantiis, & ut hîc & nunc exercendam. Ex quo patet, de eadem numero, ac individua re, sive operatione circa rem diversimodè spectata posse dari dubium speculativum & practicum.

VI. Aliter Dubium dividitur in id, quod est juris, & in id quod est facti. Dubium Juris est, quo dubitatur de lege, honestate, valore actûs &c. Hoc dubium variè solet accidere. Ut primò, si dubites, an certa species contractûs sit licita? Secundo, si dubites de licetitate alicujus actionis in particulari, non autem in commu-



communi V. G. dum sciens, mendacium absolutè esse malum, dubitat, an aliquando in certis circumstantiis sit licitum? Tertio, si dubiteretur, an lata sit lex, vel præceptum de aliqua actione facienda, vel omittenda? an facienti hoc, vel illud statuta sit pœna, V. G. irregularitas, excommunicatio &c. Quarto, quando dubitatur in concursu duorum præceptorum impossibilium, quodnam eorum sit observandum? V. G. an tenearis die Dominica audire sacrum, & interim non adesse ægroto? Quinto, dum quis dubitat an testamentum, Matrimonium, Professio &c. sint valida? Dubium facti est, quo dubitatur de existentia actûs, vel circumstantiæ alicujus V. G. an votum emiseric; vespers recitaveris; tui compos exstiteris &c. Jam dubium his omnibus modis acceptum, quod adhibita diligenti veritatis inquisitione deponi potest, vincibile; quod deponi non potest, invincibile dicitur.

VII. Denique dubium aliud est formale, aliud objectivum. Formale est, quod in præcedentibus numeris definivimus, atque divisimus. Objectivum est quælibet res, de qua dubitamus, vel dubitare possumus. Et quidem denominatio dubii non est rebus intrinseca, sed merè extrinseca. Pater: nam quælibet res in se est certa, & determinata. Quia quodlibet est, vel non est: ergo nulla res intrinsecè, & essentialiter dubia est. Provenit igitur illa denominatio à nostra dubitatione vel habituali, quatenus nempe de rebus vel actu, vel habitu, & potentia dubitamus. Quædam quoad nos sunt necessariò dubia habitualiter; quædam accidentaliter. Priora sunt illa omnia, de quibus nulla suppetunt argumenta, ut quæstionem circa ipsa exortam resolvere possimus. Hujusmodi sunt numerus arenarum, pulicum & similia. Hæc omnibus sunt necessariò dubia. Posteriora sunt, pro quorum decisione quibusdam suppetunt, quibusdam non suppetunt argumenta: & ideò de ipsis aliqui dubitant, aliqui non



dubitant. Atque hinc etiam fit, ut homines valdè sapientes, & valdè insipientes rarò dubitent; illi verò, qui pollent ingenio, suntque sciendi avidi, sed vel sufficienti industria, vel discendi occasione destituuntur, frequentissimè dubitent. Nam ratio istorum est, quòd valdè sapientibus rarò desint motiva ad ferendam fixam de plerisque rebus sententiam: e contra valdè insipientes ac hebetes ut plurimùm laborant penuriã omnium motivorum tam sufficientium, quàm insufficientium ad iudicandum de alterutra parte contradictionis: nam & rarò de rebus incertis cogitant, & quæstiones de illis vix unquam sibi proponunt; multò minùs rationes examinant, vel aliquid de earum qualitate pronuntiant. Aliter se res habet in tertio genere hominum: nam isti ob sciendi desiderium, quo stimulantur, rationes in utramque partem sapissimè discutunt, sed studio, atque industria insufficienti. Unde solent abundare motivis pro utraque parte contradictionis, sed ad ferendam sententiam insufficientibus, & consequenter inducentibus suspensionem iudicii, atque adeò dubium. Ex his etiam patet ratio, cur dicere soleamus, eum, qui nunquam dubitat, vel omnia scire, vel nihil.

## §. II.

*Statuitur & probatur nostra, & communis sententia.*

## SUMMARIUM.

8. *Quandònam ex dubio speculativo oriatur practicum, & quando non?*  
 9. *Licet aliquando operari cum dubio speculativo.* 10. *Nunquam autem cum practico.* 11. *Quomodo procedendum in deponenda Conscientia Dubia?* 12. 13. *Quale peccatum sit operari cum Conscientia practice Dubia?*

VIII. **E**x dubio speculativo regulariter, & per se loquendo semper resultat dubium practicum. Ita qui dubitat v.g. an liceat die festo iter agere? etiam per se loquendo dubitat, an id sibi hoc die



die festo sit licitum? Judex, qui dubitat, an liceat condemnare eum, quem privata scientia scit esse innocentem, dum per allegata & probata juridicè factus est nocens, etiam dubitat, an hunc reum sibi hîc & nunc liceat hoc modo condemnare? Fieri nihilominus solet, ut ob specialem rationem, vel circumstantiam supervenientem influxus dubii speculativi, ne gignat dubium practicum, impediatur per accidens, & ex accessu novæ rationis, ac circumstantiæ illud evadat practicè certò licitum, de quo speculativè & in universali dubitatur, an sit licitum? Ita in datis exemplis ille, qui dubitat de licitate itineris per diem festum agendi, potest practicè judicare, id sibi licere ob magnam necessitatem. Judex practicè potest formare judicium, fas esse condemnare ejusmodi innocentem: quia S. Thomas aliique graves Doctores tenent, id esse licitum. Et ita de pluribus aliis casibus est discurrendum. Jam

IX. Dico I. Licitum est operari cum dubio speculativo, quando illud adhibita morali diligentia vinci non potuit. Ita communis DD. Ratio colligitur ex dictis. Nam quisquis prudenter judicat, se licitè, & honestè operari, is licitè, & honestè operatur: sed contingit, ut speculativè dubius prudenter judicet, se licitè, & honestè operari, veluti constat in prioribus exemplis: ergo licitè, & honestè operatur. Confirm. Cum judicio speculativo de inhonestate operationis stare potest judicium prudens, ac practicum de honestate illius, eaque licitè exerceri: ergo etiam cum dubio speculativo. Conseq. constat ex paritate rationis: immò à fortiori. Antecedens, quod infra uberiùs declarabitur, ostendo jam breviter. David 1. Reg. c. 21. prudenter judicavit, hîc & nunc propter extremam necessitatem famis esse licitum comedere panes propositionis, quamvis absoluto & speculativo judicio judicaverit, id Laico non esse licitum. Pariter ob  
 similem



similem circumstantiam, & evidens periculum excidij, quod integræ nationi imminebat, Judæi 1. *Machab. cap. 2.* prudenter judicârunt, esse sibi licitum, die Sabbathi inire prælium, quamvis absolute, & speculativè cognoverint, præliari die Sabbathi lege Mosaica esse prohibitum. Dixi autem in Conclusionem: *quando illud adhibita &c.* Nam si vel nulla, vel non debita diligentia in inquisitione veritatis ad vincendum, ac deponendum dubium adhibeatur, dubitans non habet rationabilem causam, ob quam ab illo discordet, vel non discordet in operando, & consequenter procedit imprudenter, seque temerè conijcit in periculum peccandi: immò operatur cum dubio practico, quod ex dubio speculativo necessario sequitur, nisi per diligentem veritatis inquisitionem speciale motivum illud variandi inveniatur.

X. Dico II. Nunquam est licitum operari cum Conscientia practicè dubia. Ita communiter omnes. Probari solet primo ex illo Apost. *ad Rom. 14. quod non est ex fide peccatum est.* Id est, quidquid non procedit ex actuali dictamine, consensu, & credulitate, quòd sit licitum, moraliter malum est: sed operatio, quæ fit cum Conscientia practicè dubia, non procedit ex actuali dictamine, consensu & credulitate, quòd sit licita; ergo moraliter mala est. Mi, constat: quia sic operantem destituit omne prudens judicium, quo judicet, se hic & nunc licitè, atque honestè operari. Secundo ex illo *Ecclési. 3. Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui operans cum Conscientia practicè dubia amat periculum peccati, & quidem proximum; quippe cui liberè sese exponit eligendo actionem, de qua non habet majus fundamentum credendi, quòd sit licita, quàm illicita: ergo in tali periculo peribit, & consequenter in illud se conijciens peccat. Nam eodem præcepto, quo prohibemur admittere pravum opus, prohibemur etiam amplecti proximam occasioem illius. Tertio, omnis  
contem-



contemptus & vilipensio DEI, ac legis Divinæ peccatum est: omnis operatio, quæ fit cum Conscientia practicè dubia, est contemptus, & vilipensio DEI, ac legis Divinæ; ergo peccatum est. Mai. est certa. Mi. prob. qui absolute vult rem & operationem; sive illa sit prohibita, sive non: sive placeat DEO, sive displiceat, planè convincitur, DEUM, legemque ejus contemnere, & parvi pendere: atqui operans cum Conscientia practicè dubia ita se gerit: nam ipsi perinde est, sive offendat, sive non offendat DEUM; sive violet, sive non violet ipsius legem, cum liberè dubitet de utroque, nec habeat majorem rationem credendi unum, quàm alterum. ergo operans cum Conscientia practicè dubia contemnit, & vilipendit DEUM, legemque Ejus: ergo vera est mi. præced. Syllogismi.

XI. Corollarium I. In deponenda Conscientia dubia prudenter, & cautè procedendum. Vel enim dubium (sive speculativum, sive practicum) conceptum fuit ex causa dubitandi rationabili, vel irrationabili? Si ex causa irrationabili; contemni debet, deponique perpensâ causæ insufficientiâ, quod formaliter contingit per illud ipsum judicium, quo quis judicat, se vel non habere causam prudenter dubitandi, vel securè hîc & nunc posse operari irrationabili causa dubitandi insuper habita. Si dubium fuit conceptum ex causa, sive motivo dubitandi rationabili, deponi non debet citra alterius rationabilis causæ interventum; sed adhibenda est moralis diligentia in inquisitione veritatis. quæ si inveniri non possit, dubiumque evaserit invincibile, licitè eo stante ad operandum proceditur, quando est speculativum. Si sit practicum, alia via non restat evadendi peccatum, quàm trita illa regula: *in dubijs tutior pars est eligenda*. Porrò quænam causa sit satis rationabilis ad deponendum quodvis dubium, an sola probabilitas? An etiam minor probabilitas? &c. infra videbitur.

L

XII. Co-



XII. Corollarium II. Qui operatur cum Conscientia practice dubia, peccat tali peccato, quale esse dubitat. Itaque practice dubitans, an actio, quam vult exercere, sit peccatum mortale? peccat mortaliter, si eam exerceat: venialiter verò, si dubitet, an sit veniale? Rursus: qui dubitat, an peccatum à se committendum sit furtum, sacrilegium, vel adulterium? committit furtum, sacrilegium, adulterium, si operatur. Ratio est: quia tanto ac tali peccato quis peccat, quanti & qualis perpetrandi periculo se exponit: sed operans cum dubio practico exponit se periculo perpetrandi tanta, ac talia peccata: ergo. Sanchez 1. Decal. c. 10. n. 2. Sayr. lib. 1. clau. c. 13. n. 3. Bossius parte 2. tit. 1. §. 34. & alij. Quòd si dubitet in genere, an sit peccatum? tenendum est proportionaliter, quod dictum in simili supra de Consci. Erronea, Consentit Sporer tract. Probem. c. 1. Sect. 4. assert. 11. §. 1. n. 69.

XIII. Corollarium III. Qui dubitat, an persona, quam vult percutere, sit Ecclesiastica, eamque nondum deposito dubio percutit, is peccat mortaliter simul contra justitiam, & reverentiam Ecclesiasticis personis debitam, teneturque hanc circumstantiam explicare in Confessione, esto, ille, qui percutitur, fortè non gaudeat privilegio Ecclesiastico. Similiter contracto matrimonio dubius de ejus valore, si nondum adhibitâ diligentiam debitam ad inventionem veritatis accedat ad aliam, committit adulterium, tametsi matrimonium, de quo sic dubitat, sit invalidum. Ita docet Bonacina Disp. 2. de pecc. q. 4. pu. 7. n. 4. & 5. cum alijs, quos refert. Ratio utrobique est: quia illo peccato quis peccat, cujus committendi periculo se exponit.

## ARTICULUS II.

### Quomodo Dubia Conscientia sit deponenda?

**N**egotium susciperet immensi propemodum operis, qui singil-  
latim



latim omnia dubia de rebus Moralibus occurrentia veller excutere, & quia ratione quodlibet sit deponendum, disquirere. Nam & hinc, si in ulla re alia, singularia sunt infinita. Qua propter presenti me instituto arbitrabor fecisse satis, si communia principia & regulas Dubiam Conscientiam deponendi in medium ad ductas breviter stabilivero, idque ita præstitero, ut casuum particularium fuisse immemor nemini videri possim.

## §. I.

*An legitima Possessio in materia Justitiæ sit sufficiens titulus deponendi Conscientiam Dubiam?*

## SUMMARIUM.

1. *Que requirantur ad dubium speculativum practicè deponendum?* 2. *Explicatur natura Possessionis.* 3. *Statuitur, & probatur sententia affirmativa.* 4. *Ratio a priori, ob quam in dubio sit melior conditio possidentis.* 5. *Argumenta Sententia contraria.* 6. *Solvuntur.* 7. *Quando, & quomodo legitimus possessor in dubio rem possessam licitè retinere possit?* 8. *Possessor, cujus culpâ accidit, ne compareat verus dominus, tenetur rem possessam restituere. Probabilitas opinionis contraria.* 9. *Quomodo se debeat gerere vendens, vel donans alteri rem dubij juris?* 10. *Hæc regula: in dubio est melior conditio possidentis, perperam restringitur ad solum forum externum.*

I. **T**homas Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 10. n. 7. & 8. Ad dubium speculativum practicè deponendum duo requirit Primum est: ut sufficiens diligentia ad vincendum dubium fuerit adhibita. Est autem sufficiens diligentia non solum ea, quæ in se vincendo dubio, & inveniendæ veritati par est, sed & illa, quæ in subitis negotijs, ubi non vacat rationes utriusque partis operosius expendere, hinc & nunc est possibilis. Nam sæpè contingit, ut in repentino casû particularis occursum intellectum statim in alteram



rutram partem contradictionis determinari oporteat, & non possit omnis diligentia moraliter possibilis in inquisitione veritatis adhiberi. In quo eventu sufficit, si tanta adhibeatur, quantam & loci & temporis opportunitas adhiberi permittit. Secundum est rationale motivum variandi practicè speculativum dubium, vel etiam iudicium, quod adhibita diligentia sufficienti nequit expelli. Quæritur itaque in præsentem, utrum ejusmodi motivum, & iusta causa variandi ac deponendi practicè dubium speculativum infra materiam iustitiæ sit possessio? V.G. dubitas, an fundus, quem legitimè possides, sit tuus, an alterius? adhibitaque serietà, ac diligenti veritatis inquisitione in neutram partem te potes resolvere. Quæritur, an ob titulum possessionis, quo gaudes, possis prudenter iudicare, fundum esse tuum, eumque licitè retineas?

II. Definitur autem Possessio à Jurisperitis, quòd sit *detentio rei corporis, & animi, jurisque adminiculò suffulta*. Possessio ut sit legitima, præter voluntariam detentionem rei tanquam suæ requirit imprimis bonam fidem: quæ aliud non est, quàm credulitas, sive existimatio, qua quis prudenter sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam, vel saltem non alienam. Deinde iustum titulum, quales sunt donationis, emptionis, hæreditariæ successiois &c. Porro dicta credulitas in initio possessionis debet esse positiva, ita ut capiens possessionem prudenter sibi persuadeat, se rem iustò titulò tanquam suam possidere: si enim tunc dubitat, an non fortè sit res aliena? evadit malæ fidei possessor, & tenetur ad restitutionem: veluti docet cum communi DD. Clariss. P. Paul Mezger *tomo. 2. tract. 5. Diss. 12. a. 2. §. I. n. 1.* Dubium tamen invincibile cæpta jam legitimè possessione exortum non tollit, aut interrumpit bonam fidem, & ad ejus continuationem sufficit, si non constet, rem esse alienam. Videatur  
Castro-



Castropalao *Disp.* 3. *pu.* 2. *n.* 6. Neque enim semper illa omnia, quæ sunt necessaria, ut res incipiat, sunt etiam necessaria, ut suum esse continuet. Hoc patet in rebus naturalibus, ubi sæpè requiritur quædam actio, conditio, vel dispositio, ut effectus incipiat existere, quæ non requiritur, ut pergat existere. His positis.

III, Dico. Legitima possessio in materia justitiæ est sufficiens titulus ad dubiam Conscientiam practicè deponendam, rei que quam quis possidet, retentionem, usumque honestandum. Ita adversus Adrianum, Sotum, Arragonium, Martinum de Ledesma relatos à Castrop. *n.* 2. & 3. docent communiter omnes. Prob. Primo. *In pari delicto & causa melior est conditio possidentis*, ait *reg.* 65. *juris in 6.* atqui possidens, & non possidens versantur in pari causa, dubii videlicet juris, quod non magis uni favet, quàm alteri: ergo melior est conditio possidentis. Atqui non esset melior, si cedere re possessa, eamque dividere in conscientia teneretur. Ergo licitè illam retinet, nec eam dividere tenetur. Prob. Secundo. Nemo iudicum in foro externo possidentem condemnaret ad se spoliandum possessione ob dubium, an res possessa sit illius, vel alterius: ergo nec in foro interno ad hoc est obligandus. Ant. est certum. conseq. prob. tum, quia idem iudicandum est in fori utriusque tribunalibus, quando externum non nititur præsumptione, quam in foro interno constet esse falsam: ut tradunt communiter DD. atqui tali præsumptione hic minimè nititur: quia supponimus, eadem omnia in utroque foro constare. Tum, quia utique Iudex fori externi rectam & iustam ferret sententiam in casu nostro pronuntians, possidentem non esse obligatum, ut se spoliet re illa, quam possidet: ergo etiam possidens rectum, iustumque iudicat, & facit, dum iudicat, rem esse retinendam in dubio, eamque retinet. Prob, tertio. Quando jura par-



ium sunt obscura, reo potius favendum est, quàm actori. Atqui jura partium in dubio sunt obscura; ergo in dubio reo potius favendum est, quàm actori. Sed reus est possidens, actor est non possidens; ergo possidenti potius favendum est, quàm non possidenti. Atqui non faveretur possidenti, si rem possessam teneretur tradere non possidenti: ergo tradere non tenetur. Ergo recte m, & justum est, ut retineat.

IV. Cæterum ratio, ob quam in pari causa fit melior conditio possidentis, hæc est potissima à priori. Ille est melioris conditionis præ altero, qui simpliciter habet jus majus ad rem illam, de cujus dominio dubitatur: atqui possessor simpliciter habet jus majus, quàm non possessor; ergo possessor est melioris conditionis, quàm non possessor. mai. est certa. mi. prob. Possessor, & non Possessor in hoc sunt pares, quod utrique faveat æqualiter jus dubium dominii, neutri magis, neutri minùs: cum sit æqualis pro utroque dubitandi ratio. Titulus tamen, atque jus certum possessionis favet soli possessori; ergo possessor simpliciter habet jus majus, quàm non possessor. conseq. patet. nam ipse præter jus dubium dominii vel proprietatis, quod etiam competit non possessori, habet insuper titulum, atque jus certum possessionis: sed hoc est simpliciter habere jus majus; ergo. Porro cum non sit æquum, privari possessorem hoc certo titulo ac jure per jus dubium competitoris, quod ipsi æquè favet, fit, ut non solum in foro externo sit melioris conditionis, quàm non possessor, & præsumatur esse rei dominus, sed etiam in foro interno Conscientiæ, cujus judicium non debet esse aliud à judicio fori externi, quamdiù non constat, præsumptionem, qua nititur, esse falsam. Itaque fundi possessor, si post diligentem veritatis inquisitionem adhuc dubitet, an fundus sit suus, vel alterius? prudenter per similem discursum Conscientiam dubiam deponit: *Illam rem licite*

reti-



retineo, eaque justè utor, cujus præsumor esse dominus, & in cujus dubio jure melioris sum conditionis, quàm omnis alius competens: sed ego ob legitimam possessionem præsumor esse dominus hujus fundi, & sum melioris conditionis, quàm omnis alius competens; ergo hunc fundum licitè retineo, eoque justè utor.

V. Oppositæ sententiæ fundamenta sunt. Primum. Possessor dubitans, an res sit sua, vel alterius, exponit se periculo utendi re aliena, si illam durante tali dubio retinere, vel alienare velit: ergò nec licitè retinere, nec illa uti potest. Secundum. Is, qui non est possessor, habet idem, & æquale jus dubium proprietatis, quod possessor dubitans: ut ergo possessor servet æqualitatem, tenetur rem cum non possessore dividere. Tertium. Sequeretur, conjugem quoque dubium de valore matrimonii posse hoc uti, debitumque non solum reddere, sed etiam petere: si & ipse (quod supponitur) esset in possessione. Sed conseq. est contra *c. Dominus. de secund. nupt. & c. inquisitioni. de sent. Excom.* ergo. Quartum. Tutius est, & à periculo peccandi remotius restituere, quàm retinere rem dubiam: ergo possessor dubitans debet illam restituere. nam in dubio tutior pars est eligenda per *c. juvenis. de sponsal. & c. ad audientiam. de homicidio.*

VI. Ad Primum Respond. dist. Ant. exponit se periculo materialiter utendi re aliena, conc. periculo formaliter utendi re aliena, neg. habet enim, ut vidimus, motivum sufficiens practicè judicandi, rem esse suam. Adde, quòd dubium invincibile, in quo versatur, æquivalet ignorantia invincibili: ergo sicut cum tali ignorantia inculpate & citra periculum formaliter peccandi quis retinet rem alienam, ita etiam cum dubio speculativo practicè deposito. Ad secundum Respond. possessorem præter jus dubium proprietatis etiam habere jus certum possessionis, quo non possessor caret: & ideò ejus conditionem esse meliorem, ac  
inæ-



inæqualem, si comparatur cum conditione & jure non possidentis, Quare neg. conseq. & suppositum æqualitatis. Ad Tertium Respond. cum Th. Sanchez *lib. 2. de matrim. Disp. 41.* Laymanno *lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. n. 24.* & communiori DD. conc. seq. de dubio invincibili, & dico, citata CC. loqui in casu, quo pars dubitans non possidet bona fide: vel quia matrimonium jam ab initio contraxit in dubio de ejus valore (quæ solutio valet ad *c. Dominus*) vel quia post dubium exortum diligentia sufficiens ad illud deponendum (quod valet ad *c. inquisitioni*) nondum fuit adhibita. Ubi meritò prohibet Pontifex, ne petatur debitum, donec veritas investigetur accuratiùs. Ad Quartum dist. Ant. tutius est restituere, quàm retinere rem dubiam, est tutius comparative conc. adversative (nempe in dubio speculativo, & invincibili) neg. Ant. & neg. conseq. De sensu mox datæ distinctionis, & celebris effati: *In dubiis tutior pars est eligenda*, brevè dicemus plura. Jam habe

VII. Corollarium I. Qui legitimè rem aliquam possidere incepit, postea verò in continuatione possessionis dubitat, an sit sua, vel alterius? tenetur sufficienti diligentia inquirere certum dominum. quem si invenire non possit, dubiùmque maneat invincibile, rem possessam licitè non solùm retinebit, sed etiam alienabit, & absument. Quòd si deinde verus dominus comparuerit, id solùm tenetur restituere, quod adhuc exstat; vel quantum exinde factus est locupletior. Ita communis DD. apud Bossium de *Consc. dub. parte. 2. tit. 1. §. 50. n. 1832.* Sanchez. *lib. 2. de matrim. disp. 41. n. 12.* apud Laym. *loc. cit. n. 21.* Ratio est; quia possessor ultra jus dubium proprietatis, quod est ei commune cum non possidente, habet insuper jus certum possessionis, quo spoliari non potest citra injustitiam, éstque sufficiens titulus ad Conscientiam dubiam practicè deponendam, remque, de cujus domi-



dominio dubitatur, retinendam. Atque hinc sequitur, non possidentem, si durante tali dubio, ante sententiam iudicis auferat rem legitimo possessori, injustum huic damnum inferre, tenerique ad integram restitutionem ejus. Doctrina hujus Coroll. etiam vera est, licet diligenter inquisito, & non invento certo domino, possessor magis inclinatur ad iudicandum; immò speculativè probabilius iudicet, rem esse alienam, modò de hoc non sit moraliter certus. Sanchez. *lib. 1. Decal. cap. 10. n. 9.* Laym. *loc. cit.* Castrop. *ubi supra n. 11.* & apud ipsum Salas, & Vasquez, Ratio est: quia certa, & legitima possessio præponderat omnibus argumentis incertis, & non convincentibus in contrarium.

VIII. Corollarium II. Siquis in initio possessionis speculativè dubitet, aut in continuatione possessionis orto tali dubio, num res sit sua, omittat debitam diligentiam inquirendi veritatem, & hac ratione sit in causa, ne compareat verus dominus, teneatur ad restitutionem rei pro quantitate dubij. Ita communis sententia. Castrop. *n. 8.* Clariss. P. Paulus Mezger *ubi supra. §. 3. n. 9.* Ratio est: quia propter ejusmodi dubium in initio, talemque negligentiam vincendi dubium in continuatione possessionis constituitur malæ fidei possessor. Dixi autem *pro quantitate dubij*; quia, ut notat Laym. *n. 22.* cum non sit certus de vero domino, retinet adhuc jus dubium in ea re, adeoque non obligatur ad restituendum, nisi secundum proportionem dubij juris, quod alter habere videtur. Verùm Bonac. *Disp. 1. de Contract. q. 2. puncto 2. n. 8.* existimat, talem, si bona fide inchoavit possessionem, non teneri ad ullam restitutionem. Ratio est: quia licet peccaverit non inquirendo verum dominum, est tamen dubius, an hac sua negligentia damnum alteri intulerit: cum non sit certum, an revera fuerit causa, quòd dominus non comparuerit. Atqui dubius de damno illato non est obligandus ad certam restitutionem; ergo &c. Videtur

M

hæc



hæc sententia probabilis : quamvis prior in praxi sit tutior. Illam tenet etiam Castrop. n. 9. Rebellus alios referens apud Bonac. loc. cit. Sporer tractat. 1. Prooem. cap. 1. sect. 4. §. 3. n. 76.

IX. Corollarium III. Venditor rei sub ejusmodi dubio bona fide possessæ tenetur de hoc dubio monere emptorem : similiter donator donatarium, quando adest moralis spes, fore, ut verus dominus compareat. Ratio est : quia aliequin venditor exponit eminentem periculo rem emptam comparente legitimo domino amittendi. Immò cognito tali dubio emptor vel omninò non emeret, vel minori pretio emeret. Sayrus lib. 10. clau. reg. tract. 2. c. 3. n. 29. Castrop. n. 13. Pariter donatarius si rei statum edocetur, eam fortè non acceptaret, propter periculum damni, quod inde sequi timeret. Boss. loc. cit. n. 1859. Volunt præterea, ut venditor sit obligatus ejusmodi rem vendere minoris. Ratio est : quia vendit rem vitiosam, & oneratam periculò, ne verus dominus compareat, eamque sibi vendicet. Tambu. lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 6. n. 6. Dixi autem, quando adest moralis spes &c. Nam si venditor sit moraliter certus, alium dominum non compariturum, ab utroque memorato onere liberatur. Quia jam nec emptor, nec donatarius morali periculo alicujus damni exponitur.

X. Corollarium IV. Hæc regula : *in dubio melior est conditio possidentis*, non tantum habet locum in foro externo, sed etiam in foro interno Conscientiæ. Et consequenter legitimus possessor in dubio, quod adhibita sufficienti diligentia vincere non potuit, rem possessam tutâ Conscientiâ retinet, alienat vel absomit. Sayrus lib. 1. clau. c. 13. n. 14. Clariff. P. Paulus Mezger loc. cit. n. 7. cum communi DD. contra Prosperum Fagnanum, qui ad cap. ne imitaris n. 191 & 195. eam regulam limitat ad solum forum externum. Ratio Corollarij ex dictis est : quia iudicium fori externi, quando non nititur falsa præsumptione, non discrepat à iudicio



dicio fori interni, & consequenter possidens nanciscitur jus in Conscientia. Hoc sanè non modò communis DD. sententia comprobatur, sed insuper praxis quotidiana fidelium. Nemo siquidem bonæ fidei possessor, postquam rei dubiæ dominum diligenter inquisivit, nec invenit: vel causam in judicio fori externi contra competitorem obtinuit, existimat, se esse nihilominus obligatum in Conscientia ad cedendum re illa competitori, vel ad eam dividendam: quorum tamen alterutrum facere omnes tenerentur, si vera esset sententia Fagnani: quippe cum nec judicium fori externi, nec illa regula, quòd in dubio melior sit conditio possidentis, quemquam præstaret in foro Conscientiæ securum, sed unicè ista: in dubio tutior pars est eligenda. In hoc tamen conveniunt DD. apud Bossium ubi *suprà n. 1856.* possidenti bona fide rem dubiam, esse abstinendum ab ejus usu, & alienatione, quamdiu durat veritatis investigatio; nisi fortè paratus sit solvere pretium illius usûs, deductis expensis, invento domino, qui hoc pacto non esset amplius rationabiliter invitus ob usum suæ rei. Licet interim hanc retinebit possessor per modum depositarij, de qua retentione similiter dominus non potest esse invitus: quippe cujus negotium utiliter geritur.

## §. II.

*An etiam extra materiam Justitiæ in dubio sit melior conditio possidentis?*

## SUMMARIUM.

11. *Possessio etiam reperitur extra materiam Justitiæ, ita tamen, ut sit debita titulo Justitiæ.* 12. *Statuitur nostra sententia, & probatur primo ex paritate possessionis in materia Justitiæ.* 13. *Secundo ex defectu obligationis, qui est in lege dubia.* 14. *Depellitur quedam replicatio.* 15. *An nostra sententia etiam procedat in dubio homicidij & irregularitatis?* 16. *Titulus possessionis*



*fionis non deservit ad deponendum dubium speculativum etiam speculativè. 17. 18. Possessio, ut sit utilis ad depositionem dubij, debet esse certa. 19. Unde hæc certitudo possit cognosci extra materiam Justitiæ?*

XI. **C**ertum est, rerum non solum earum, quæ pertinent ad Justitiam, sed etiam aliarum dari possessionem. Ita Beati possident DEUM. Legitimus Superior potestatem præcipiendi subditis. Reus suam innocentiam in casu delicti dubij, donec probetur esse nocens. Præterea quilibet possidet suam libertatem ad licitè operandum, vel non operandum, quando nec operatio, nec ommissio operationis aliqua lege est vetita. Licet enim possessio dicatur à positione pedum, & ab initio per juris civilis interpretes solum sit agnita in rebus corporeis, usus tamen obtinuit postea, ut juribus quoque incorporeis accommodaretur. Obparitatem autem, immò identitatem rationis hic terminus impræsentiarum etiam libertati, innocentia, & alijs rebus, quæ habentur ab homine extra materiam Justitiæ, applicatur. Nam & istas verè tenemus tanquam nostras, tamen non corporis, animi tamen, jurisque adminiculò suffulti. Unde, qui illegitimè tali possessione quemquam exueret, illi inferret formalem injuriam, & peccaret contra Justitiam. Possessio quippe est debita titulo Justitiæ, quamvis id, quod possidetur, sit objectum alterius virtutis, ut habet Joannes Sancius apud Bossium, ubi supra §. 38. & Terillus *de reg. mor. q. 57.* Ita qui alterum per vim impediret, ne largiretur eleemosynam, non solum peccaret contra Misericordiam, quatenus esset in causa, ne opus illius exerceretur; sed etiam contra justitiam, quia læderet illud jus, quod quilibet habet, ne ab altero in exercitio virtutum impediatur. His positis.

XII. Dico. Hæc regula: *in dubio melior est conditio possidentis*, habet etiam locum in materijs aliarum virtutum à Justitia, puta,



puta, Religionis, Temperantia, &c. estque sufficiens titulus dubiam Conscientiam practice deponendi. Ita asserit communior, & probabilior sententia apud Th. Sanchez *lib. 1. Decal. c. 10. n. 11.* Bonac. *in tract. de Restit. Disp. 1. Q. 2. pu. 2.* Castrop. *tract. 1. disp. 8. pu. 6. n. 1.* Boss. *loc. cit. n. 1186.* qui alios plurimos referunt, contra Sayrum, Azorium, Vincent. Baronium, Gonetum, aliosque severiores Theologos, cum quibus recentissimè sentit P. Thyrsus Gonzalez *in tract. de recto usu opin. probab. dissert. 7. §. 12.* Probatur Conclusio primo. Intra materiam Justitiæ in dubio melior est conditio possidentis, ut ostendimus *S. præc. & Authores* contrarii communiter admittunt: ergo etiam in materiis extra Justitiam. prob. conseq. ideo in materia Justitiæ est melior conditio possidentis, quia hic, quando bona fide possessionem inchoavit, habet jus certum, ne tali possessione exuatur, nisi quid afferatur, quod validius contra eum urgeat, quam quod ipsi favet contra jus dubium non possidentis. Atqui hæc ipsissima ratio valet in omni possessione extra materiam Justitiæ; ergo etiam extra materiam Justitiæ est melior conditio possidentis. mai. est certa. mi. prob. ipsa possessio, ac jus possessionis in aliis materiis, est aliquid proprium possessoris, eique titulo Justitiæ competens non minùs, quam possessio in materia Justitiæ: ergo etiam possessor extra materiam Justitiæ habet jus certum, ne sua possessione exuatur, nisi quid afferatur, quod fortius contra ipsum urgeat, quam quod favet contra exceptiones incertas legis dubiæ, & obligationem prætentam non possidentis. conseq. patet. Aut. Ostendimus in *num. præc.* possessio siquidem, jusque ad eam continuandam in materiis aliarum virtutum eodem modo se habent, ac possessio in materia Justitiæ, esto, res illa, quæ possidetur, sit diversa: quippe quæ non intra objectum Justitiæ, sed aliarum virtutum continetur.



XIII. Probatur secundo. Dubitet Cajus adolescens dubio facti, an expleverit annum ætatis 21. & consequenter etiam dubio juris, an teneatur ad jejunandum? adhibitâque sufficienti veritatis inquisitione fluctuet ambiguus inter utramque partem contradictionis ob motiva utrimque æqualia, vi quorum neque possit dicere, se tantum ætatis explêsse, & consequenter obligari lege jejunii: neque dicere, se non explêsse, & non obligari. In hac hypothesis certum est, Cajum hæctenus pacificè possedisse plenam libertatem licitè faciendi hoc, & illud, nullâque lege restrictam, & coarctatam ad jejunandum. Atqui hanc eandem libertatem adhuc plenè possidet non obstante dubio. Patet. Cajum nec modò obligat iex jejunii: ergo possidet eandem libertatem jejunandi, vel non jejunandi citra peccatum formale, quam possidebat ante dubium exortum. conseq. constat. Ant, prob. Lex dubia non habet vim obligandi: sed lex jejunandi, & omnia motiva pro ipsa stantia sunt prorsus dubia, ac incerta; ergo hæc lex non habet vim obligandi, & consequenter Cajum non obligat. mi. est certa & supponitur. Si enim lex, & motiva, quæ urgent obligationem legis, essent certa, atque indubia, quomodo Cajus in eorum conspectu adhuc posset dubitare de tali obligatione? Mai. inde colligitur: quòd lex incerta non habeat majorem vim gignendi obligationem, quàm quælibet causa incerta causandi effectum. Atqui causa incerta non habet vim causandi effectum; quippe, qui necessariò debet esse quid certum, ac determinatum; ergo nec lex incerta habet vim gignendi obligationem. Atque hinc clarè conficitur, legem dubiam cum omnibus motivis illius obligationem suadentibus non posse prævalere adversus libertatem certò possessam, & consequenter hujus legitimam possessionem efficere, ut in dubio conditio Caji sit melior, quàm legis jejunandi suam obligationem non possidentis, id, quod fuerat probandum.

XIV.



XIV. Dices, Esto, non sit in possessione obligationis illa lex directa, de cujus existentia vel obligatione datur dubium invincibile: at semper est in possessione lex reflexa, eaque certa juris Divini naturalis, quo prohibemur nos exponere periculo DEUM offendendi. Cum itaque dubius de obligatione jejunii, de emissionem voti &c. videat, se versari in periculo DEUM offendendi, si non jejunct, si votum non persolvat, tenetur jejunare, votumque persolvere, ne agat contra prædictam legem, quæ à certa possessione sua deturbari non potest. Sed contra est primo, quod hoc idem argumentum formari possit in materia Justitiæ. Nam & ibi lex naturalis prohibet, ne quis se exponat periculo DEUM offendendi, quod sanè non est minus in illa, quàm in aliis materiis & tamen ad id evitandum non tenetur in dubio legitimus possessor à se abdicare rem possessam, ut fatentur nobiscum etiam communiter DD. contrarii. Contra est secundo, quod nulla lex naturalis præcipiat, ut homo cedat certa possessione libertatis ob solum periculum non servandi legem dubiam, & vi obligandi destitutam. Privari namque libertate tantum malum est, quantum bonum est ipsa libertas. At *libertas omnibus rebus favorabilior est per reg. 122 ff. de reg. juris.* Atqui lex, de qua legitimus possessor libertatis invincibiliter dubitat, non habet vim obligandi; ergo. Contra est tertio, quod exponere se periculo peccati tantum materialis non sit exponere se periculo offendendi DEUM: atqui operans ex titulo possessionis contra legem incertam in dubio invincibili exponit se periculo peccati tantum materialis; ut patet in materia Justitiæ, & uberius declarabitur in sequentibus: ergo.

XV. Objicies ulterius primo. Si hoc axioma: *in dubiis est melior conditio possidentis*, haberet locum in aliis materiis præter materiam Justitiæ, in omni dubio liceret eligere partem minus tutam:



tutam: sed hoc est falsum: quia alioquin existens in dubio homicidii & irregularitatis non teneretur se gerere irregularem, cum melior esset ejus conditio propter possessionem innocentiae. Hoc autem repugnat SS. Canonibus, ubi statuitur, ut dubius de homicidio absteat à ministerio altaris propter periculum irregularitatis. Seq. mai. constat: nam si titulus possessionis reddit meliorem dubitantis conditionem in aliqua materia præter materiam Justitiæ, non est ratio, cur id non præstet in omni; cum non appareat, cur major efficacia ei competat in una, quam in altera. Respond. neg. seq. ad probat. dico, legitimam possessionem semper efficere, ut conditio possidentis sit melior in quacunque materia, quando cætera sunt paria, & nihil occurrit illâ validius in contrarium. Hoc autem solet contingere, quando possessioni resistit jus. In quo casu conditio possidentis non est melior, quia destituitur præsumptione juris, & causa fit dispar. Ita in dubio homicidii Pontifex constituit, ut dubitans non obstante possessione innocentiae se gereret tanquam irregularem, idque propter reverentiam SS. Ordinum, & ministerii altaris. Quæ tamen specialis constitutio, utpote odiosa, non debet extendi ad alios casus. Itaque conditio possidentis in dubio tunc est melior, quando sunt cætera paria: nam *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, dicit *regula 65. juris in 6.* non est autem par causa, quando jus possidenti resistit. Dicit. Ratio, cur Pontifex ita constituerit in dubio homicidii, est illa Regula: *in dubiis tutior pars est eligenda*, ut præter alios textus juris Canonici habet *c. ad audientiam*. Hæc autem ratio est universalis, & idem suadet de quolibet alio dubio. Ergo constitutio Pontificis gratis restringitur solum ad dubium homicidii. Respondeo cum sententiæ nostræ Authoribus, Summum Pontificem prædictam regulam non esse secutum tanquam legem necessariam in eo dubio sic statuendi,



endi, sed eam attulisse tanquam prudens motivum, & optimum consilium, quo sit inductus ad illam declarationem.

XVI. Obijcies secundo. Id, quo stante perseverat dubium, non est sufficiens ratio deponendi dubium: sed stante possessione libertatis v. g. perseverat dubium; ergo possessio libertatis non est sufficiens ratio deponendi dubium. mai. est certa, mi. prob. nam titulus ille possessionis involvitur in ipso dubio; dubitans enim, an emiserit votum, & consequenter an illud teneatur persolvere? de hoc ipso dubitat, an non obstante possessione libertatis teneatur voto? ergo stante possessione libertatis perseverat dubium. Respondeo, in tali casu duo dubia intercurrere. Primum est dubium speculativum, quod oritur ex motivis hinc stantibus pro emissionem voti, & ex motivis illinc negantibus emissionem voti. Secundum est dubium practicum Conscientiæ, quo dubitatur, an liceat possessori libertatis in sua possessione persistere, votumque non persolvere, non obstante priori dubio, sitne votum emissum, vel non? Fatendum est igitur, possessionem libertatis non tollere prius dubium: quia hæc possessio possidentem non efficit certum de existentia, vel non existentia voti: sicut possessio in materia Justitiæ possessorem non reddit certum, sitne res possessa ipsius, vel alterius? At dubium posterius prudenter deponitur per titulum possessionis: hæc enim, quando possessor post diligenter examinata motiva utrimque occurrentia nihil videt ad eam elidendam satis efficax, petit continuari, donec aliquid afferatur validius contra possessorem, quàm pro ipso, dum generat certam persuasionem, non esse cedendum libertate per executionem voti propter motiva incerta, & non magis dubitanti, quàm voto faventia. Jam in forma dist. mai. id, quo stante perseverat dubium tam speculativum, quàm practicum, non est sufficiens ratio deponendi dubium, conc. quo stante, perseverat dubium speculativum, non

N

verò



verò practicum, non est sufficiens ratio deponendi dubium, sub-  
dist. speculativum conc. practicum nego mai. dist. mi. perseverat  
dubium speculativum conc. practicum nego mi. &c. Ad probat.  
dico, in dubio speculativo, antequam adhibeatur sufficiens dili-  
gentia in inquirenda veritate, & quamdiù durat veritatis inquisi-  
tio, involvi procul dubio possessionem libertatis: nam motiva,  
quæ stant pro voto, simul hanc possessionem oppugnant, dubiam-  
que reddunt. At postquam morali diligentia possessor deprehen-  
dit, illa argumenta non esse validiora, quàm ea, quæ ipsi favent,  
neque aliquid afferri urgentius in contrarium, de possessione li-  
bertatis non ampliùs dubitat.

XVII. Objicit tertio P. Thyrsus Gonzalez ubi suprâ n. 73.  
Ut in materia Justitiæ sit melior conditio possidentis, possessio  
debet esse certa, & explorata: ergo pariter, ut in dubio melior  
esset conditio hominis possidentis suam libertatem, hanc posses-  
sionem oporteret esse certam. conseq. patet à paritate rationis.  
Ant. Supp. nam in lite inter Petrum & Paulum de jure ad rem, si  
non modò rationes utrique faventes essent æquales, sed insuper  
possessio esset incerta, res inter litigantes deberet dividi; quia par  
esset jus utriusque, ut docet Lessius *lib. 2. c. 6. dubit. 3. n. 10.* & alij.  
Atqui (subsumitur) possessio libertatis in dubijs voti, jejunij &c.  
non est certa. Patet hoc: vel enim est sermo de libertate Physica,  
vel de libertate morali, qua quis licitè potest rem facere, vel non  
facere? Prima libertas non sufficit, ut præbeat fundamentum  
præsumendi, rem aliquam homini non esse prohibitam: quia non  
minùs est Physicè liber ad utrumlibet posito præcepto quocunque,  
quàm erat antè. Secunda libertas includitur in dubio, an liceat,  
vel non liceat aliqua actio, v. g. comestio in die jejunij. Dubi-  
tare quippe, sitné aliqua actio licita, vel illicita? est formalissimè  
dubitare, an homo habeat libertatem ad faciendam illam actio-  
nem impunè, & sine peccato. nem



XVIII. Hoc argumentum (pace tanti viri) evidenter inſto in materia Juſtitia. Dubitet Petrus de jure prædij, quod poſſidet. Jam quæro, dum Petrus in hoc dubio reputat, ſe eſſe melioris conditionis ob titulum poſſeſſionis, vel eſt ſermo de poſſeſſione Phyſica, qua prædium ſub ſua poteſtate, ac libertate Phyſica retinet; vel de poſſeſſione morali, qua Petrus licitè vel illicitè prædium retinet? Prima poſſeſſio non ſufficit, ut præbeat fundamentum præſumendi, Petrum eſſe verum dominum prædij: quia non minùs id Phyſicè retinere poſſet, tamenſi certus eſſet, ſpectare ad alium, quàm dum non eſt certus. Secunda poſſeſſio involvitur in dubio Petri, an ipſe ſit verus dominus prædij, vel non? Dubitare quippe, ſi ſne legitimus dominus rei, quam poſſides? eſt formaliffimè dubitare, an eam licitè, ac juſtè retineas, vel non? quod eſt dubitare de poſſeſſione morali. Ergo à primo ad ultimum etiam in materia Juſtitia poſſeſſio, de qua poteſt inſtitui quaſtio, vel non eſt ſufficiens, ut fundet præſumptionem juris; vel illa, quæ eſſet ſufficiens, ſi foret certa, non eſt certa: idque præſertim, ſi ſententia Adriani, Arragonij, Soti, & aliorum, quam *preced.* §. rejecimus, ſit probabilis. In forma conc. Enthym. nego ſubſumpt. Ad hujus probat. dico, nos loqui de libertate, ejùsque poſſeſſione morali: quæ licèt involvatur in dubio ſpeculativo, ſicut conſeſſum eſt *n. preced.* donec poſſeſſor rem diligenter examina-verit, hoc tamen præſtito non remanet ampliùs dubia.

XIX. Super eſt modò, ut ſtatuamus principia, ex quibus colli-gi poſſit, ex qua parte extra materiam Juſtitia in dubio ſtet poſſeſſio. Multùm in hoc variant AA. Immò Tambur. *1. in Decal. c. 3. §. 6. n. 11.* & Caſtropol. *de Conſcient. dub. diſp. 3. pu. 6. n. 2.* exiſtimant, nullam hîc regulam univerſalem poſſe conſtitui, remque in varijs materijs vario modo eſſe definiendam. Placet nihilomnùs gemina via, quam oſtendit P. Roſmer de *Conſ. Dub.*



Prima est. In dubijs juris, & legis oportet attendere, an id, quod potest inducere obligationem, & libertatem arctare, existat, atque sit positum, antequàm dubium oriebatur, an non? si constet, esse positum ante dubium, tunc lex, & obligatio est in possessione. Si id non constet, possessio stat pro libertate. Exempla adducemus *artic. prox.* Secunda est. In dubijs facti vel maximè videndum est, pro quam parte stet præsumptio juris, & fori externi. Hanc regulam alijs relatis tradit etiam Franc. Bardi. *Discept. 5. cap. 5.* Ratio est: quia jus nihil temerè & citra rationabilem causam præsumit: ergo dum jus præsumit in favorem unius partis, rectè judicatur, possessionem, de qua est dubium, stare ab hac parte. conseq. prob. quia pars ista nititur conjectura tam vero simili, ut habeatur pro ipsa veritate, quamdiù nulla probatio efficacior affertur. Quòd si de hoc ipso oriatur dubium, cuinam parti faveat præsumptio juris? explorandum est, quænam illarum onus probandi transferat in adversariam. Hoc invento præsumptio juris pro illa parte stare censenda est, quæ transfert prædictum onus, ut habet Bardi *loc. cit.* si pro utraque parte adsit præsumptio juris, illa erit in possessione, pro qua stat validior præsumptio. Nam hæc elidit minùs validam: ut docent Juristæ apud *cit.* Si non constet, quænam præsumptio sit validior, sed vel utrimque inveniantur æquales, vel etiam dubiæ, ita ut inde non possit colligi, cujusnam partis sit possessio, præsumptio habenda est pro nulla: veluti docet cum alijs Castropal *loc. cit.*





*Aliæ Regulæ deponendi Conscientiam Dubiam.*

S U M M A R I U M.

20. *Sensus Axiomatis*: In dubiis tutior pars est eligenda. 21. 22. *In quibus casibus usus hujus regulæ sit necessarius?* 23. *De praxi regulæ*: ex duobus malis minus est eligendum, & de aliis tribus regulis *Juris*.

XX. **P**RÆter titulum Possessionis, de quo hætenùs egimus, dantur adhuc aliæ viæ moralia dubia deponendi. Has inter eminet celebre axioma: *in dubiis tutior pars est eligenda*. Certum est, in illo ly *tutior* non accipi comparativè ad partem tutam ut sensus sit, ex duabus partibus, quarum una est tuta, alia tamen tutior, nos teneri sequi tutiorem relictâ tutâ; sed sumi adverbativè per respectum ad partem non tutam, ita, ut pars tutior sit eadem, quæ simpliciter tuta in gradu positivo: illa vetò, ad quam refertur, seu minùs tuta, sit eadem, quæ non tuta. In simili sensu dixit Apost. 1. *ad Corinth. 7. melius est nubere, quàm uri*. Ubi sensus non est, quòd uri sit bonum, saltem minus, quàm nubere, sed quòd ex illis ad invicem collatis nubere sit bonum, ad sedandos videlicet stimulos carnis; uri verò sit malum. Videatur Gonet in *Dissert. de Consc. prob. a. 4. n. 190*. Legitimus itaque sensus regulæ est, quòd debeamus sequi partem tutam, relictâ non tutâ. Nam sequi partem comparativè tutiorem relictâ minùs tutâ, verè tamen tutâ, non est præcepti, sed solum consilii. Cæterùm pars adverbativè tutior, sive tuta simpliciter illa hic dicitur, in qua nihil mali nullumque peccati periculum repræsentatur.

XXI. Jam ad rem nostram veniendo tenendum est, Dubiam Conscientiam esse necessariò deponendam per dictam regulam: *in dubiis tutior* &c. Primo. In dubio pratico. Secundo. etiam in dubio speculativo, quando ad illud vincendum suffici-



ens diligentia nondum fuit adhibita. Tertio. dum nulla occurrit alia sufficiens ratio dubium prudenter, & practicè deponendi. Quarto. Quoties id jura expressè præcipiunt. Ratio est quia exponere se periculo proximo peccati formalis nunquam est licitum: sed in omnibus his casibus amplecti partem minùs tutam est exponere se periculo peccati formalis, ut patet: ergo amplecti hic partem minùs tutam non est licitum. Superest igitur dubitanti hæc unica via evitandi peccatum formale, nempe eligere partem tutiorem.

XXII. Cæterùm in dubiò speculativo, quod adhibita diligentia sufficienti vinci non potuit, nulla est obligatio eligendi tutiorem partem. Ita communis. Ratio est: tum, quia sententia hoc docens est nimis rigida, difficilis & impracticabilis. Tum, quia, ut suprà advertimus, dubium invincibile æquivaleret ignorantia invincibili: ergo sicut invincibiliter ignorans legem non obligatur lege, ita & invincibiliter dubitans de illa. Atqui post debitam veritatis inquisitionem dubius dubitat invincibiliter, an existat lex ad sequendam tutiorem partem adstringens: ergo hæc non obligatur: tum, quia in ejusmodi dubio nostra libertas stat in possessione adversus legem de parte tutiori sectanda, ejusque conditio est melior.

XXIII. Tertia regula dubiam Conscientiam deponendi est hæc: *ex duobus malis est minus eligendum.* Quæ tunc habet locum, quando voluntas inter duo, quorum utrumque repugnat legi, necessariò debet amplecti alterutrum. Sit Exemplum. Quidam die festo inservit ægroto, eumque videt probabiliter tempore, quo audiendum esset sacrum, moriturum. Quid jam agat? si relinquat moribundum, existimat, se peccare contra præceptum charitatis: si negligat sacrum, contra præceptum Ecclesiæ. Nulla perseverante hoc dubio superest alia via culpam formalem



lem evadendi, quàm eligere illud, quod prudenter apparet, minus esse malum. Cùm enim careat sufficienti libertate ad vitandum utrumque, cessat obligatio legis absolutè prohibentis etiam id, quod est minus peccatum, & sola remanet obligatio vitandi majus. Illud porrò: *in dubiis reo potius favendum, quàm actori*, reducitur ad regulam: *in dubio melior est conditio possidentis*. Hoc autem: *in obscuris minimum est sequendum*, pertinet ad regulam: *ex duobus malus &c.* Demum: *in obscuris respicimus id, quod verisimilius est, vel plerùmque fieri consuevit*, affine est regulæ: *in dubiis tutior pars est eligenda*. Hæc est doctrina Clarissimi P. Pauli de Conscient. dub. a. 4. §. 1. n. 8.

## ARTICULUS II.

*Ex hætenus dictis varia dubia moralia resolvuntur.*

## §. I.

*Dubia de Lege, & Præcepto.*

## SUMMARIUM.

1. Dubius, an lex sit lata, vel promulgata? illa non tenetur. 2. Tenetur verò dubius, an sit aliquando recepta? Probabilitas sententia contrarie.
3. Lex etiam in dubio, an sit abrogata? obligat.
4. Quidnam dicendum in dubio requisita ætatis, ut lex, vel præceptum obliget, vel non obliget?
5. Quid in dubio sufficientis usus rationis?
6. 7. 8. Quid in dubio, an effluxerit, vel inceperit tempus finiendi, vel inchoandi jejunium?
9. Quid in dubio, an obligatio legis, aut præcepti sit gravis, vel levis?
10. Quid in dubio, an aliqua consuetudo habeat vim obligandi?
11. Quid in concursu præceptorum simul non implebilium? vel certi cum incerto?
12. Quid in dubio, an quis obligationi legis, vel præcepti satis fecerit?

**C**OROLLARIUM I. Qui facta diligenti veritatis inquisitione dubitat, an lata, vel promulgata sit aliqua lex, vel impositum præceptum,



ceptum, vel consuetudo legitimè introducta? non tenetur tali lege, consuetudine, vel præcepto. Th. Sanchez. 1. in *Decal. c. 10. n. 32.* Castropal. ubi supra *pu. 7. n. 1.* Bossius §. 39. *n. 1213.* Tambur. 1. in *Decal. cap. 3. §. 7.* verbis: *leges & præcepta.* Bardi *Discept. 6. c. 2. §. 1.* aliique communiter. Ratio est, tum, quia, dum dubitatur de existentia legis, præcepti, vel consuetudinis, libertas est in certa possessione, utpote omni ejusmodi dubio anterior: atqui in tali casu dubitatur de existentia legis, præcepti, vel consuetudinis; ergo. Tum, quia lex non obligat, nisi sufficienter promulgata, atque proposita (idem dic de consuetudine & præcepto) sed lex, de qua sic dubitatur, non est sufficienter promulgata; ergo. Tum, quia in simili dubio forum externum non iudicat, dubitantem obligari; ergo nec in iudicio fori interni est obligandus. Dum itaque dubitas, an in hac vigilia sit jejunium? an hic dies sit festivus? neque jejunare teneris tali die, neque audire sacrum. Addit Sanchez. *n. 33.* idem esse dicendum, quando constat quidem, legem vel præceptum existere, dubium tamen est, an hæc res comprehendatur sub illis: quia sic dubitare perinde est, ac dubitare, an detur lex, vel præceptum de illa re.

II. Corollarium II. Invincibiliter dubius, an lex sit aliquando usu recepta? probabilius tenetur ejusmodi lege. Sanchez *n. 35.* Castrop. *n. 3.* Bonac. *Disp. 1. de legibus. q. 1. pu. 4. n. 44.* Bardi §. 2. & alij. Ratio est: quia possessio, atque præsumptio non stant pro libertate, sed pro lege. nam onus probandi, legem non esse receptam, illi incumbit, qui hoc affirmat: ergo, dum id non probat, lex manet in possessione obligationis. Verùm contrariam sententiam esse valde probabilem, tenet Castrop. *n. 4.* illam docet præterea Tambur. *loc. cit.* Diana *parte 4. tract. 3. resol. 14.* Azor, & Salas apud Sanchez. Consentit Sporer de *Conscient. dub. cap. 1. Sect. 4. §. 4. n. 3.* Ratio est: quia, dum est dubium, an lex sit

fit



fit usu recepta, dubitatur, an aliquando obligaverit, atque adeò, an fuerit aliquando vera lex? ut enim fit talis, & verè obliget, à subditis recipi debet. Hæc sententia, ut vides, fundatur in illa, quæ docet, valorem legum dependere ab acceptatione populi.

III. Corollarium III. Certus de lege lata, sed dubitans, an sit abrogata; vel an ratione cujusdam necessitatis, vel alterius circumstantiæ ab illa sit exemptus, tenetur tali lege. Sanchez *loc. cit.* n. 34. Castrop. n. 6. Bossius n. 1224. Tambur. n. 2. Ratio est: quia tunc lex, ejusque obligatio est in certa possessione: abrogatio verò, & exemptio ab illa est dubia. Unde melior est conditio legis, quàm libertatis, & alleganti abrogationem, vel exemptionem incumbit onus probandi, se esse exemptum, vel legem esse abrogatam. Quando itaque certus es, hoc die esse, aut hætenus fuisse jejunium; dubitas autem, an ab hac lege sis exceptus v. g. propter vexationem itineris; vel an lex sit modò abrogata? dubiumque non potes vincere, teneris jejunare. Idem sentiendum est in dubio, an in lege sit dispensatum? nam & hîc obligatio legis est certa, & in possessione. Sanchez. n. 35.

IV. Corollarium IV. Senex dubius, an compleverit annum ætatis sexagesimum? tenetur; econtrà adolescens dubius, an compleverit annum 21. non tenetur jejunare. Ratio est: quia in primo casu lex jejuniæ ante dubium subortum existens, & hætenus semper obligans est in possessione: in altero libertas adolescentis. Dubius quoque, an habeat requisitam ætatem ad suscipiendos SS. Ordines? ab his abstinere debet. Quia lex vetans illos suscipere ante præscriptos annos, est certa, & in possessione; dubia verò legitimæ ætatis expletio. Quæ proinde non præsumitur, sed probari debet. Sanchez *lib. 2. de Matrim. Disp. 41. n. 41.* Castrop. *pu. 8. n. 7.*

V. Corollarium V. Si completo septennio dubium oriatur,  
 O  
 an puer



an puer habeat sufficientem usum rationis, atque adeò legibus sit subiectus? judicandus est habere. Ratio est, quia in obscuris respicimus id, quod plerùmque fieri consuevit: præsumptio quoque nasci solet ex communiter contingentibus. Atqui communiter contingit, ut pueri completò septenniò sint doli capaces; ergo. Castrop. *Disp. 1. de Legibus pu. 24. §. 2. n. 3.* Atque ex eodem hoc fundamento docet ibi Joan. Sanchez, puerum, tametsi confiter, ante septennium habere usum rationis, non obligari legibus positivis. Nam leges positivæ respiciunt ea, quæ communiter contingunt: atqui puerum nondum septennem habere sufficientem usum rationis non communiter contingit. Quare dictæ leges non intendunt obligare ante illam ætatem, si cui fortè sufficiens usus rationis per accidens obtigerit. Obligatur tamen ejusmodi puer lege naturali, contra quam, si malitia suppleat ætatem, etiam ante septennium peccare potest, de quo non est dubium.

VI. Corollarium VI. Adhibita sufficienti diligentia dubitans, an elapsa sit dies Jovis, & sonuerit hora duodecima noctis? licitè pergit comedere carnes. Dubitans verò, an sonuerit duodecima in nocte Sabbathi? tenetur abstinere, donec reddatur certior. Laym. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 36.* cum Th. Sanchez. *cit. disp. n. 40.* Ratio est: quia in priori casu libertas comedentis; in posteriori præceptum abstinendi à carnibus est in possessione. Quòd si plura sint horologia, poteris sequi, quodeunque libuerit: nisi fortè aliquod illorum communiter soleat sonare irregulariter, & errans ut plurimùm reputetur. Castrop. *pu. cit. num. 4.* Cardenas in *Crisi Theolog. tract. 3. de Leg. disp. 28. c. 5.* estque communis sententia. Ratio est: quia diversa horologia benè regulata se habent instar sententiarum probabilium, ex quibus quamlibet sequi licet in praxi. Hinc etiam, qui post auditam duodeci-

man



mām in uno horologio adhuc edit & bibit, poterit manè licitè, communicare, vel celebrare sacrum, dummodò constet, in alio horologio esse auditam post esum, vel potum completum. Diana cum utroque Sanchez, & alijs, quos refert ubi suprà *resol.* 19. Bonac. *de Restit. Diss.* 1. Q. 2. pu. 2. Sporer. *loc. cit. in Coroll.* 2. num. 2.

VII. Corollarium VII. Sacerdos dubitans, an ultra mediam noctem cœnando processerit, sequenti die probabiliùs celebrare non potest; uti nec alius communicare. Thom. Sanchez ubi suprà, aliique multi, quos refert Cardenas *cit. c. 6 n. 86.* Castrop. *n. 9.* qui ait, ita communiter sentire DD. Ratio est: tum, quia in tali dubio propter reverentiam Sacramenti tutior pars est eligenda. Tum, quia præceptum cum jejunio naturali celebrandi, vel communicandi est certum, adeoque in possessione; libertas autem celebraturi, vel communicaturi est dubia. tum, quia dubitans, an sit jejunus? Dubitat, an sit dignus sumptione S. Eucharistiæ? ergo, ne sumat indignus, probare debet, se esse jejunum: sicut volens suscipere SS. Ordines probare debet, se implēse legitimam ætatem. Atqui dubius, an sit jejunus? non probat, se esse jejunum; ergo.

VIII. Nihilominùs Laym. *loc. cit.* existimat, non improbabiler posse permitti Sacerdoti, ut in ejusmodi dubio celebret, & consequenter non sacerdoti, ut communicet ex sola quoque devotione, censētque omninò probabile Sporer ubi suprà. Immò Cardenas *n. 87.* hanc sententiam tenet ut probabiliorem. Ratio est: quia lex Ecclesiastica præcipiens, ut fideles S. Eucharistiam sumant jejuni, non videtur in dubio tam arctè velle constringere Conscientias: præsertim in dubio facti, quod aliunde non præsumitur, nec est aliquid ad Sacramenti substantiam pertinens. Accedit, quòd impedimentum dubium non possit tollere jus cer-



tum ad aliquid: sed impedimentum celebrandi, vel communicandi est dubium, jus verò utrumque faciendi est certum, idque dubitans ante superventum dubij certò possidet, & consequenter adhuc possidet durante dubio. Idem dicendum de eo, qui os eluit, aut quidpiam dentibus masticavit, & dubitat, an quid deglutiverit? seque in neutram partem potest resolvere, talis enim non tenetur abstinere à S. Communione.

IX. Corollarium VIII. Quando omnibus diligenter perpensis dubitas, an lex, vel præceptum obliget sub peccato mortali, vel veniali? judicare potes, obligare solùm sub veniali. Sanchez, lib. 6. in Decal. c. 4. n. 66. Tambur. ubi suprà n. 3. Bardi c. 2. §. 6. & alij. Ratio est: tum, quia in tali dubio lex non possidet obligationem sub mortali: ergo præponderat jus libertatis, ne nimis gravetur ab illius obligatione. Tum, quia leges, quæ rectè possunt intelligi de pæna majori & minori, in dubio intelligendæ sunt de minori per reg. in penis de reg. juris in 6. ergo etiam intelligendæ sunt de obligatione ad culpam minorem. Quando verò certum est, legem non obligare sub mortali, & solùm dubitatur, an obliget sub veniali, vel ad solam pænam? credendum est, obligare sub culpa veniali. Ratio est: quia lex suapte natura habet vim obligandi sub culpa, nisi constet aliunde, Legislatorem velle obligare ad solam pænam, Igitur in hoc dubio lex est in possessione obligationis sub veniali. Ita Sanchez cit.

X. Corollarium IX. Qui post omnes conjecturas seriò examinatas dubitat, an consuetudo introducta habeat vim obligationis, vel sit res meræ devotionis, & consilij? prudenter iudicare potest hoc ultimum. Bardi §. 7. cum alijs, quos refert. Ratio est: quia res odiosa, cujusmodi est obligatio, admitti non debet, quamdiù non constat, eam esse certam. Neque libertas ante exortum ejusmodi dubium constituta in certa possessione arctanda est



da est vinculo dubio. Cæterum conjecturas, ex quibus inferri debeat, consuetudinem aliquam esse inductam non ex sola devotione, sed cum vera obligatione, Bardi cit. ex P. Suarez vult esse sequentes: Prima est, si sit consuetudo longi temporis, circa rem gravem, & si insuper à majori populi parte observetur. Secunda, si viri prudentes & pii de illis, qui eam violant, non rectè sentiant. Tertia. Si superiores illius transgressiones non dissimulent, sed reprehendant, ac puniant. Quarta. si materia, circa quam est consuetudo, bono communi &c. Reipublicæ sit conducibilis. Addit quintam, si cedat in majus DEI obsequium, quàm oppositum.

XI. Corollarium X. In concursu duorum præceptorum, quando unum est certum, & alterum dubium, certum est observandum. Castropal *pu. 8. n. 5.* Tambur. *loc. cit. n. 4.* Ratio est: quia præceptum certum est in possessione, non verò dubium. Quapropter servus post debitam veritatis inquisitionem adhuc dubitans, an hodie sit dies festivus? tenetur domino facere opus servile: quia obligatio laborandi est certa, feriandi dubia. Quòd si occurrant duo præcepta, & ambo sint certa, simul tamen non possint impleri, implendum est, quod videtur magis obligare. Si hoc, attentis omnibus circumstantijs, non constet, neque se offerat ulla ratio, ob quam unum præceptum validiùs urgeat, quàm alterum, impleri potest honestè, quod magis lubet. Diana *part. 4. tract. 3. resol. 70.* ex Granada in *1. 2. controversia 2. tract. 12. disp. 6. n. 8.* Tambur. *loc. cit.*

XII. Qui certò scit, legem esse latam, vel præceptum impositum, dubitat verò, an ejus obligationi satisfecerit? tenetur satisfacere. Sanchez *1. Decal. c. 10. n. 12.* aliisque relatis Castrop. *pu. 7. n. 7.* Ratio est: quia lex, vel præceptum est in certa possessione obligationis: ergo est melioris conditionis, quàm libertas.



ergo impleri debet certa satisfactione, quia certa obligatio impleri non potest per satisfactionem dubiam. Et ideo inquisita sufficienter veritate adhuc dubitans, an recitaveris horas Canonicas? teneris recitare. Dubius, an persolveris pœnitentiam injunctam à Confessario? teneris persolvere.

## §. II.

## Dubia de Voto, Juramento, Promisso.

## SUMMARIUM.

13. Quidnam agendum in dubio emisit voti, juramenti, vel alterius cujuscunque promissi? 14. Quid in dubio circa sensum verborum, vel intentionem se obligandi? 15. 16. 17. Quid in dubio, an vovens, jurans, promittens habuerit sufficientem usum rationis? 18. Quid in dubio, an quis voverit, sive promiserit majus, vel minus? 19. Quid in dubio, ad quidnam tenearis vi verborum? 20. Quid in dubio, an materia voti sit licita?

XIII. **C**OROLLARIUM I. Dubius, an votum, vel juramentum emisit, vel aliquid promiserit? si post diligentem veritatis inquisitionem dubium etiamnum remaneat, nec voto, nec promisso, nec juramento tenetur. Sanchez. lib. 1. Decal. c. 10. n. 36. Bonac. tract. de contract. disp. 1. quest. 2. pu. 2. §. incid. n. 3. Castrop. ubi supra pu. 9. n. 2. Boss. §. 45. n. 1589. Tambur. 1. Decal. cap. 3. §. 7. verbo votum. Bardi discept. 6. c. 1. §. 1. Ratio est: quia libertas est in possessione. Neque est æquum, ut quis ob debitum incertum obligetur ad certam solutionem. Accedit, quòd votum, juramentum, promissum sint quædam veluti leges, quas homo sibi imponit: atqui nulla lex dubia, & de qua non constat, esse latam, obligat: ut vidimus in præc. a. ergo nec votum, juramentum, vel promissum dubium. Hæc doctrina procedit etiam in casu, quo quis magis propendet, & inclinatur animò, quòd voverit, promiserit, juraverit, quam quòd non voverit &c. quamdiù



diu talis propensio intellectum relinquit intra limites dubij. Nam si opinetur se vovisse, jurasse, promississe, ita, ut de contrario nullum possit rationabilem assensum elicere, tenetur votô, promissô, vel juramentô. Ratio est jam toties dicta: quia tunc votum, promissum, vel juramentum sunt in possessione. Quod si de utraque parte habeat opiniones probabiles, potest amplecti, quam libuerit. Videatur Sanchez. *loc. cit.*

XIV. Corollarium II, Qui dubitat invincibilite: , an verba, quibus utebatur, dum vovebat, jurabat, promittebat, continent formam veri juramenti, voti, promissi, vel potius significant nudum propositum, vel simplicem assertionem? ad nihil tenetur. Castrop. *pn. 10. n. 2.* Tambur. *loc. cit. n. 5.* Boss. *n. 1593.* Ratio est: quia tunc dubium est, an votum, promissum, vel juramentum fuerit emissum? atqui in eo casu nemo illis tenetur, ut primum diximus. Quod si constet de sensu verborum, isque non sit ambiguus, sed certò denotet votum, juramentum, vel promissum, vel solum sit dubium, an illa proferens habuerit animum se obligandi? Talis tenetur votô, promissô, vel juramentô. Boniac. *loc. cit. n. 4.* Castrop. *n. 4.* Boss. *n. 1595.* Bardi §. 5. Ratio est: tum, quia possessio stat pro voto, juramento, vel promissô. Tum, quia verba sunt signa intentionis, & nemo præsumitur dicere, quod non habet in corde, donec probetur contrarium. Tum, quia probato factô præsumuntur adfuisse omnia ad illud requisita, ut docet Sanchez *lib. 1. de sponsal. disp. 9. n. 13.* apud Castrop. *loc. cit.* ergo, quando constat de voto, promissô juramento, præsumendum est, adfuisse requisitam intentionem, & animum voventis, jurantis, vel promittentis. Quare, qui certus est, quod puellæ promiserit matrimonium, voverit peregrinationem &c. Tenetur puellam ducere, & instituere peregrinationem. Verùm Tambur. ubi supra *n. 6.* existimat, non esse improbabile, te neutriquam



riquam in hoc casu obligari. Cùm enim intentio se obligandi sit de ratione voti, promissi, vel juramenti promissorij, de ea dubitans reverà dubitas de substantia voti, promissi, vel juramenti, quod idem est, ac dubitare, num voveris, promiseris, vel juraveris? Unde nulla hîc stat pro voto, promisso, vel juramento possessio, sed pro libertate. Citat nominatus Author pro hac sententia Caramuelem *lib. 3. Theolog. moral. n. 1338.* & Alphonsum de Leone apud ipsum.

XV. Corollarium III. Dubitans, an habuerit sufficientem rationis usum, dum vovit, vel juravit, eò quòd fuerit ætatis admodum teneræ, debet attendere, an votum, vel juramentum emisit expletò jam ætatis septenniò, vel nondum expletò? si jam expletò, idque illi constat; tenetur votò, & juramentò. Si nondum expletò, non tenetur. Sanchez 4. *in Decal. c. 1. n. 14* Castrop. *pu. 11. n. 2.* Bardi §. 6. & alij. Ratio est: Quia completò septenniò pueri regulariter præsumuntur habere sufficientem usum rationis: non autem ante illam ætatem completam. Unde in priori casu præsumptio, & possessio stat pro voto & juramento: in posteriori pro libertate dubitantis. Quòd si omnibus pensatis sit incertum, an tum fuerit completè septennis, nec ne? judicat Sanchez. *loc. cit.* eum teneri votò & juramentò. Ratio est: quia rarò, & vix unquam vota vel juramenta promissoria, ceu res maxime seriæ, fiunt ante septennium. Quare etiam in hoc dubio ex communitè contingentibus oritur præsumptio pro completo septennio, atque adeò pro valore voti, & juramenti. Nihilominus Castropal. *n. 4.* licèt hanc sententiam censeat esse probabiliorè, judicat, etiam oppositam, nempe, nullam hîc esse obligationem voti, vel alterius promissionis, esse probabilem. Ratio est: quia in hoc non constat de voto, aut juramento. Cùm dubitetur de essentiali constitutivo utriusque, ergo libertas dubitantis manet in possessione.



essione. Existimat hanc opinionem alijs authoribus relatis probabilem etiam Diana de *Consc. dub. resol.* 11. & tenent complures, quos refert Bossius n. 1606.

XVI, Corollarium IV. Qui dubitat, omnibus diligenter expensis, an votum, vel aliud promissum fecerit in amentia, vel cum esset sui compos, & sanæ mentis, aliquando tenetur, aliquando non tenetur votò, vel aliâ quacunque promissione. Tenetur, quando diligenter inquisita veritate non constat, voventem, seu promittentem amentiam fuisse correptum, antequam votum, vel promissum emitteret. Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 1. n. 15.* & DD. communiter apud Bossium n. 1612. Ratio est, quia qualitas, quæ naturaliter inest, semper inesse præsumitur, nisi probetur contrarium. Sed sanitas mentis est hujusmodi qualitas: nam natura generat homines sanæ mentis; ergo præsumitur inesse. Non autem tenetur, quando certum est, voventem ante votum, vel promissionem editam fuisse in amentia, & dubitatur, an tempore, quo vovit, vel promisit, habuerit lucida intervalla? Ratio est, quia dementia suapte natura est morbus perpetuus, & ideò existens de præfenti præsumitur duratura omni tempore. Lucida verò intervalla, quia sunt per accidens, non præsumuntur, nisi probentur. Boss. *cit.* Quòd si constaret, votum, vel promissum fuisse factum tempore lucidi intervalli, planè obligaret.

XVII. Corollarium V. Quòd si dubites, an voveris, promiseris, juraveris in somno, ebrietate, vel phrenesi? votum, promissum, juramentum præsumuntur valida, teque obligant. Sanchez. Boss. *cit.* Ratio est: tum, quia similes actus rarissimè fiunt tempore somni, ebrietatis, vel phrenesis; sed dum homo est sui compos. Unde ex communiter contingentibus præsumuntur in dubio fuisse facti cum sana mente. Tum, quia somnus, ebrietas, & phrenesis durant brevi tempore. Hinc non præsumuntur,

P

tur,



tur, ita permanere, sicut amentia, ut actus censeatur gestus illis durantibus. Tum, quia qualitas naturalis, ut est sufficiens usus rationis, in dubio præsumitur, donec probetur contrarium. Si verò certus sis, te, quando vovisti, promisisti, jurasti, fuisse ebrium, phreneticum, vel somno oppressum, & dubites solum, an fueris plenè vel semiebrius? item, plenè, vel semisopitus? sive in tali phrenesi, quæ sufficiat ad auferendum usum rationis ad mortale peccatum sufficientem? ad nihil obligaris. Ratio est: quia, dum constat de somno, ebrietate, vel phrenesi, quæ sunt apra nata ad usum rationis auferendum, hic præsumitur ablatum, & possessio stat pro libertate. Confirmat hoc Castrop. *p. 11, n. 7.* ex P. Suarez, Is, cui in somno accidit pollutio, & postea dubitat, an tum habuerit perfectum usum rationis? non condemnatur peccati mortalis ob defectum perfectæ libertatis: ergo ob eundem defectum non est præsumendus validè vovisse, jurasse, promisisse, qui certus est, se id fecisse in somno. Idem dic de ebrietate & phrenesi. Cæterum, quando quis vovit, vel alio modo promisit in subita passione, puta, iracundiâ, vel alia perturbatione animi, & deinde dubitat, an fuerit rationis sufficienter compos, ac liber? res paulò videtur difficilior. Nam rarò & vix unquam ira, vel alia passio quantumcunque vehemens usum rationis ita tollit, ut non sufficiat ad benè vel malè operandum. Cùm aliàs occidens quempiam ex impetu iræ excusaretur à peccato mortali, quod tamen regulariter non contingit. Nihilominus ex hypothese, quòd vovens, aut promittens re probè examinata adhuc verè dubitaret, an ejusmodi passio sufficientem libertatem sibi reliquerit? is nec voto, nec alia promissione teneretur. Castrop. *loc. cit. n. 10.* & apud eum Suarez de voto *lib. 4. c. 6. n. 10.* Tambur. ubi supra *n. 21*, Ratio est: quia esset dubium de substantia voti, vel promissionis, libertas autè staret in possessione.



XVIII. Corollarium VI. Siquis immemor verborum, quibus est usus, dum vovit, vel aliter promisit, adhibita morali diligentia dubitet, an voverit, vel promiserit majus vel minus? solùm tenetur ad id, quod est minus. Sanchez. *lib. 4. Decal. c. 13. n. 17.* Boss plurimos referens *n. 1666*, ita dubius invincibiliter, an voveris ingredi religionem aliquam, indeterminate & in genere, vel an aliquam determinatam? solùm teneris ingredi hanc determinatam, ita, ut si in istam non admittaris, à voti obligatione sis penitus liber. Item in dubio, an voveris ingredi religionem strictiorem, vel an minus strictam? teneris solùm ad minus strictam. Similiter, quando dubitas, an voveris solùm ingressum religionis, vel etiam emissionem professionis? Teneris solùm ingredi, potesque rursus egredi ante professionem ex Ordine. Pariter, si certus sis, te vovisse castitatem, dubitas autem, an omnimodam, vel conjugalem, an temporalem, vel perpetuam? an absolute vel sub conditione assumpti status religiosi? Potes eligere id, quod minus est. Et ideo in primo casu satisfacis voto, si serves castitatem conjugalem. in secundo, si temporalem. in tertio, si serves assumpto statu religioso. Vide Bonac. *disp. 1. de contract. q. 2. pu. 2. § incid. n. 5.* Dianam de *Consc. dub. resol. 36.* Tambur. *n. 6. q. 13. & seqq.* Bardi §. 6. Iterum in dubio, an voveris dare centum, vel ducentos aureos? an vinum optimum, vel mediocre? an recitare integrum Rosarium, vel solùm tres decades? poteris pati modo eligere id, quod minus est. Ratio horum omnium, & plurium similium est: quia certa possessio stat pro libertate, quæ a dubio invincibili coarctari non debet. Adde, quòd in obscuris, ut habet reg. Juris, minimum sit sequendum.

XIX. Corollarium VII. Memor autem verborum, quibus usus est, dum vovit, & nihilominus dubitans ad quidnam teneatur?



se debet resolvere juxta sensum, usumque verborum, in quo communiter accipiuntur. Hinc si vovisti Ecclesiae calicem, non satisfacis dando ligneum, vel aheneum, sed dare teneris aureum, vel argenteum, saltem secundum superiorem cuppam. Ratio est: quia nomine sacri calicis intelligitur is, qui est aptus ad celebrandum sacrificium missae. Atqui talis est aureus, vel argenteus, vel dicto modo semiargenteus, non vero ligneus, aut aheneus, [ergo. *Diana resol.* 48. *Boss.* n. 1667. *Tambur.* n. 18. & alij. Similiter si vovens castitatem dixisti absolute: *voveo*, vel *promitto castitatem*, teneris in dubio, an intellexeris perpetuam, vel temporariam? servare perpetuam. Ita Sanchez. n. 16. Bardi §. 9. Ratio est: quia illa verba intelligi solent de perpetuitate. Quare in dubio eorum sensus est in possessione.

XX. Corollarium VIII. In dubio, an materia voti, quod quis edidit, sit licita & honesta, necne? diligenter expendenda est res ipsa, vel peritiores consulendi. Quod si his praestitis, dubium adhuc remaneat, volunt Svarez, Merolla, & alij apud Francisc. Bardi §. 10. votum neque impleri posse, neque omitti, sed petendam esse dispensationem. Ratio est: quia vovens alioquin exponit se periculo peccandi. Cum enim constet, votum existere, pro illo stat possessio, & consequenter non potest licite intermitteri. Rursus cum non constet de honestate materiae, votum exsequens est in periculo persolvendi rem DEO ingrati. Ut igitur securè procedatur, petenda est dispensatio. Sed quid agendum, quando vovens versatur in talibus circumstantiis, ut votum vel exequi, vel omittere debeat eo tempore, quo urget ejus obligatio, & neque possit rationes pro utraque parte satis expendere, neque petere ab altero Consilium, neque à superiore dispensationem? In hoc eventu Bardi existimat votum esse omittendum, ne illud exsequendo incurratur periculum exereendi actionem DEO ingrati. Neque



Neque dicas, etiam omittendo votum incurri periculum peccandi contra obligationem voti. Nam votum, inquit, in talibus circumstantijs non videtur obligare: quia materia dubia quoad honestatem nequit esse materia voti. Confirm. Dubium de honestate materiae est formaliter dubium de substantia voti (idem die de juramento, aut alia promissione) quia honestas materiae essentialiter requiritur ad illud. Sed in dubio invincibili de substantia voti nulla est ejus obligatio, prout jam saepius dictum est: ergo nec in dubio invincibili de honestate materiae. Videatur Castrop. pu. 12. n. 2, Tambur. n. 22.

## §. III.

*Dubia circa materiam Obedientiae.*

## SUMMARIUM.

21. *Communis sententia obligat subditum ad obediendum in dubio, an res praecepta sit licita?* 22. *Quadam objectiones.* 23. *Soluntur.* 24. 25. 26. 27. *Limitationes communis sententiae.* 28. *An pertineat ad subditum inquirere, num superior recte praecipiat?* 29. *Valentinarius tenetur parere superiori prohibenti jejunium, vel recitationem breviarii.* 30. *Quid agendum militi in dubio, an bellum sit justum?*

XXI. **C**OROLLARIUM I. Subditus dubitans, an res, quam praecipit superior, sit licita, necne? in tali dubio, quando id adhibita morali diligentia vincere non potest, tenetur obedire. Sanchez. lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 3. ubi quam plurimos refert. Castrop. pu. 13. n. 3. estque communis sententia contra Adrianum, & Gabriel. Vasquez. Ratio est: quia certa praesumptio Juris, adeoque possessio praecipienda stat pro superiore, qua spoliari ob dubium subditi non debet. Itaque licet superior subdito videatur praecipere quid legi Divinae adversum, non eximitur ab ob-



ligatione parendi, donec probaverit, se esse exemptum: sed quamdiu perseverat dubium de honestate rei præceptæ, tamdiu subditus non probat, se esse exemptum: quia superior habet jus præcipiendi non solum, quæ sunt reipsa licita, sed etiam illa, quæ non constat esse illicita, quæque illi prudenter apparent licita. Atque eo ipso, quod superior rem quampiam præcipiat, præsumendum est, eam prudenter ipsi apparere licitam, præcipientemque certo iudicare, se rectè præcipere. Non autem est æquum, ut certo superioris iudicio prævaleat dubium subditi.

XXII. Obijcies primo. Superior non possidet jus præcipiendi ea, in quibus est periculum peccati: sed in ijs, de quibus dubitat subditus, an sint licita? est periculum peccati; ergo superior non possidet jus ista præcipiendi. ergo subditus non obediendo superiori non aufert jus præcipiendi: quippe, quod nunquam habuit. Secundo. Subditus invincibiliter dubius, an præceptum sit impositum? illo non tenetur, ut constat ex dictis: sed dubius, an res præcepta sit licita, vel illicita? est dubius, an præceptum sit impositum? quia dubitat de aliquo, quod ad essentiam præcepti est necessarium: sicut dictum est de voto in §. *prac.* ergo dubius, an res præcepta sit licita, vel illicita? non tenetur præcepto. Tertio. Agere illud, de quo non magis constat, sitne licitum, an illicitum? est intrinsecè malum: sed obedire in tali dubio est ita agere; ergo in illo obedire est intrinsecè malum, ergo non potest fieri licitum propter præceptum superioris. Quarto. Quando exigitur aliquid, de quo dubito, an sit debitum? ad illud non tenor, donec constet, esse debitum, & urgenti debitum incumbit onus illud probandi: atqui in casu nostro superior à subdito quid simile exigit; quia exigit, ut sibi obediatur in re, de qua dubitatur, an sit debita ex obedientia: ergo. Quinto. In dubio, an materia voti, vel juramenti sit honesta, necne? nulla est obligatio voti vel



vel juramenti, sicut concessum est in *prac.* §. ergo etiam in dubio de honestate rei præceptæ nulla est obligatio præcepti, & Obedientiæ,

XXIII. Respondeo ad primum distinguendo mai. Superior non possidet jus præcipiendi ea, in quibus est periculum peccati, nisi ipsi prudenter videantur carere periculo peccati, conc. si sic videantur, neg. mai. dist. mi. sed in ijs &c. Est periculum peccati, ita tamen, ut superiori prudenter videantur carere hoc periculo, conc. ut non ita videantur, neg. vel: est periculum peccati in iudicio subditi, conc. in iudicio superioris, ex quo metienda est honestas præcepti & obligationis, neg. mi. &c. Ad secundum conc. mai. neg. mi. cum sua probatione. Habet enim sufficiens fundamentum iudicandi, rem præceptam esse honestam, iudicium videlicet præcipientis. Hoc siquidem, non verò proprii capitis placitum debet esse mensura honestatis in materia obedientiæ. Ad tertium dist. mai. agere illud, de quo non magis constat &c. tam in iudicio practico, quàm iudicio speculativo, est intrinsecè malum conc. solum in iudicio speculativo, neg. mai. dist. mi. est agere id, de quo non magis constat &c. in iudicio speculativo conc. in iudicio practico neg. mi. &c. cum enim iudicium superioris sit efficax, atque sufficiens motivum, ut subditus existimet, in eiusmodi dubio esse licitum hîc & nunc obedire, fit, ut præceptum superioris reddat per accidens licitum, quod re ipsa est fortè illicitum, & quidquid de ejus inhonestate obversatur intellectui, totum ex parte iudicij speculativi se teneat. Ad quartum dist. mai. quando ille, qui exigat, non est in possessione exigendi id ipsum, de quo dubitatur, an sit debitum, conc. si sit in tali possessione neg. mai. atqui superior est in certa possessione tum suæ superioritatis, tum meæ subjectionis, jurisque exigendi, ut obediam in re, quam prudenter iudicat esse licitam, esto, apud me oriatur dubium, an  
fit



sit licita, ac debita ex virtute obedientiæ? Ad quintum transmissio Ant. (neque enim sic absolute concessum est *loc. cit.*) neg. conseq. disparitas est: quia subditus in ejusmodi dubio habet securissimam regulam formandi Conscientiam certam de honestate obedientiæ judicium videlicet, & voluntatem superioris, cujus est gubernare subditum in rebus dubijs. Atqui nil tale se offert dubitanti de honestate rei. votô, vel juramentô promissæ in casu, quo concessum est Ant. præsentis objectionis; sed sibi relinquitur: ergo &c.

XXIV. Limitatur tamen nostra, & communis sententia, ut subditus non teneatur obedire primo, quando ipsi constat, superiorem quoque præcipientem dubitare, an res à se præcepta sit licita? neque debitam ad vincendum id dubium adhibuisse diligentiam. Sanchez ubi supra n. 21. Castrop. n. 13. Ratio est: quia hîc superiori non favet possessio præcipiendi; quippe ad ea se solum extendens, quæ ipse prudenter credit esse licita. Atqui in casu nostro non potest prudenter credere, rem, quam præcipit, esse licitam, ergo. Unde subditus ita præcipienti non solum non tenetur, sed neque potest honestè obedire, quia prudentis non est conformare se præcepto, quod manifestè videt esse temerarium & periculosum. Quòd si superior conatus sufficienti diligentia vincere hujusmodi dubium quid tale præcipiat, de quo subditus dubitat, an sit licitum? tenetur obedire. Ratio est: quia ejusmodi dubium, cum sit invincibile, non aufert superiori possessionem, & jus eam rem præcipiendi. Sicut proinde post contractum bona fide matrimonium in dubio de ejus valore, quod facta morali diligentia vinci non potest, unus conjunx licitè petit, alterque tenetur reddere debitum, ita in posito casu superior licitè imperat, & subditus licitè paret; immò tenetur parere. Castrop. n. 11.

XXV. Non



XXV. Non tenetur subditus obedire secundo, quando versatur in dubio facti, sive alicujus delicti, cui annexa est irregularitas, in quo sequi tenetur tutiorem partem. Ita in dubio, an commiseris homicidium? quando superior non potens in hac irregularitate dispensare præciperet, ut celebrares, non posses celebrare. Ratio est: quia in tali dubio sequi teneris tutiorem partem, teque gerere tanquam irregularem propter præceptum Ecclesiæ, quod est in certa possessione, & in quo tuus prælatus dispensare non potest. Quare sicut ante præceptum peccasses, si in animum induxisses celebrare, ita & post præceptum peccares. Sayrus in *clavi lib. 1. c. 13. n. 38.* Vera est autem præfens doctrina, quoties in dubio facti circa censuras aliquis tenetur se reputare censurâ ligatum. Tunc enim constat evidenter, rem præceptam esse illicitam. Sanchez. *n. 22.*

XXVI. Non tenetur obedire tertio, quando res præcepta est insuper tam ardua atque difficilis, ut subditus merito dubitet, an illam superior ex hoc capite possit injungere, sitque intra limites potestatis illius? Cujusmodi essent v. g. longum iter, diuturna abstinencia, cruenta flagellatio. In his, & similibus non tenetur obedire, nisi re maturè discussâ constiterit, superiorem ea jubendo non excedere limites suæ potestatis. Ratio est: tum, quia non videtur æquum, ut quis onus extra modum grave certò subire teneatur, de quo est dubium, an possit imponi? *jugum enim Christi suave est, & onus ejus leve.* tale autem non esse videretur, si vellet, esse obediendum superiori tam austeræ præcipienti, etiam dum est incertum, an possit præcipere? tum, quia tanta, eaque certa rei præceptæ difficultas sumpta cum dubio de potestate præcipiendi præponderat possessioni (siqua hîc est) superioris, & favet potius libertati subditi. Sayrus *n. 40.* Sanchez. *n. 23.* Castrop. *n. 18.* Accedit, quòd subditus, dum agitur de propria

Q

pelle,



pelle, habeat notitiam certam & experimentalem, quodnam opus excedat, vel non excedat virium suarum facultatem, quod non ita nôsse solet superior. Unde prudenter utitur hac sua notitia, eamque in dubio prædicto licitè præfert iudicio superioris.

XXVII. Non tenetur, nec potest obedire quarto, quando superior aliquid præcipit, ex quo grave timetur damnum personæ tertix v. g. in honore, famâ, corpore, divitijs &c. veluti posset contingere, si prælatus religiosum juberet revelare privatam, & enorme crimen sui Confratris, aut si iudex inquirens in occultum delictum, rei que publicæ non perniciosum à testibus exigeret, ut manifestarent veritatem. Ratio est: tum quia inter duo mala minus est eligendum. Atqui minus malum est semel non obedire superiori in dubio, an justè præcipiat? quàm obedire in grave præjudicium tertij. tum, quia tertius est in certa possessione bonorum, famæ, honoris, corporis &c. Habet insuper certum jus, ne lædatur in illis absque manifesto titulo: ergo non est æquum ut per tuam obedientiam, de qua dubitas, an sit licita? in ejusmodi jure, & possessione turbetur, evidentique periculo perpetuæ infamix, vel alterius damni exponatur. Et hæc doctrina vel maximè vera est, quando persona, de cujus crimine interrogatur, est magnæ autoritatis, multumque reipublicæ utilis. Vide Sayrum *loc. cit. n. 41*. Quòd si obedientia subditi solum cedat in damnum proprium ipsius, potest in tali casu obedire, non tamen tenetur. Ratio est: quia potest jure suo cedere, quamvis non teneatur. Castrop *n. 16*.

XXVIII. Corollarium II. Quando superior non est prædictus eâ scientiâ, autoritate, morumque probitate, ut ipsius iudicium subdito honestatem præcepti, de qua ob graves rationes prudenter dubitat, possit efficere saltem probabilem, tenetur, dum commodè potest, uti Consilio doctorum hominum, seque



sequē adhibita morali diligentia de præcepti æquitate facere certiorē. Sylvester verbo *bellum* 1. q. 9. *conclus.* 3. & verbo *obedientia*. q. 2. Castrop. n. 10. Ratio est: tum, quia obligatio inquirendi veritatem in dubio, an operatio quæpiam sit licita? est omnibus naturaliter insita, ut sic operetur prudenter. Tum, quia in dubio, an præceptum divinum adversetur alteri præcepto naturali? tenemur studiosè inquirere, quodnam illorum sit exsequendum? ergo idem præstare debemus in dubio, an præceptum superioris sit honestum, vel contrarium alteri præcepto Divino? cùm præceptum superioris non possit esse efficacius præcepto Divino. Confirm. Subditus non est magis obligatus ad parendū superiori, quàm conjux conjugi ad reddendum debitum: atqui conjux dubius de valore matrimonii tenetur, antequàm reddat debitū, inquirere rei veritatem: ergo similiter subditus dubius de honestate præcepti tenetur, antequàm obediat, investigare, an superior rectè præcipiat? Sententia contraria, quam veriorē existimat Sanchez *loc. cit.* n. 19. est etiam probabilis. Ratio potissima hæc esse videtur: quia, ut docet S. Thom. q. 17. *de Verit.* a. 5. ad 4. Subditi non est examinare superioris præcepta, sed exequi, quamdiū non constat, rem præceptam esse illicitam. Adde, quòd hujusmodi examen, & inquisitio, num superior rectè præcipiat? cæcæ, ac simplicis obedientiæ perfectioni, quæ priscis Patribus tantopere placuit, multum adversetur.

XXIX. Corollarium III. Quando valetudinarius, aut alio impedimento laborans dubitat, an teneatur jejunare, abstinere à carnibus, recitare horas Canonicas? & sic de similibus, tenetur obedire Prælato præcipienti, ut non jejunet, ut non abstineat à carnibus, ut non persolvat horas. Ratio ex dictis est: quia subditus hîc solùm versatur in dubio, an id, quod præcipitur, sit licitum? atqui in hoc dubio tenetur obedire, dum aliud nihil obstat;

Q 2

ergo.



ergo. Neque periculum est violandi illa præcepta Ecclesiæ. quia præceptum Prælati in talibus dubijs habetur pro interpretatione legum, qua interpretatur, subditum dictis præceptis non obligari. Sanchez. *cit. n. 10.* Castrop. *n. 5.*

XXX. Corollarium IV. Miles principi, vel reipublicæ subditus in dubio, an bellum, ad quod vocatur, sit justum? merito pareret, ac militat. Laym. *lib. 2. tract. 3. c. 12. n. 8.* cum communi. Ratio est: quia princeps, vel respublica est in possessione præcipiendi, & subditus in obligatione parendi, quamdiu non constat de iniquitate præcepti. Neque ad militem pertinet nôsse, vel examinare causas belli; sed potius præsumere, principem, seu rempublicam illud non temerè & absque maturo consilio, justaque sententiâ decrevisse. De milite conductitio, qui postea jubetur inire bellum, de cujus justitia dubitat, idem dicendum est. Ob eandem rationem carnifex mercede conductus licitè exequitur latam à judice sententiam, tametsi de ejus justitia dubitet. Nam ad ipsum non pertinet hanc rem discutere. Laym. *loc. cit.* Hæc tamen dicta velim, si rationes dubitandi non sint admodum graves. Nam quando adsunt indicia valde probabilia, rumoresque de iniquitate belli, ita ut subdito ob graves atque urgentes rationes dubitandi præceptum & judicium principis, vel reipublicæ non videatur sufficere ad formandam rectam Conscientiam, tenebitur morali diligentia juxta suum captum belli æquitatem inquirere. Bonac. *disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. pu. ult. §. 2. n. 10.* Castrop. *pu. 14. n. 2.* Rationes peti debent ex dictis in *n. 27. & 28.* quæ in bello, re longè gravissima, vel maximè militant. Hæc autem doctrina præcipuè vera est de militibus, qui non sunt subditi. Hos quippe obediendi necessitas in tali dubio nequaquam excusat. Debent itaque, ut licitè dent nomem, inquirere de justitia belli, quod gesturus est princeps, cui volunt militare, du-  
biùmque



biúmque speculativum de illa ex alijs principijs practicè deponere. quia aliàs temerè se conijciunt in periculum gravissimas injurias, ac damna inferendi illis, qui bellò petuntur. Videantur *citt.*

## §. IV.

## Dubia Miscellanea.

## SUMMARIUM.

31. Quomodo procedendum in dubio legitimitatis? 32. Quomodo in dubio irregularitatis? 33. An dubius de gravi, vel extrema necessitate parentum possit ingredi Religionem? 34. An dubius de fructu correctionis teneatur proximum corrigere? 35. 36. Quid agendum Religioso Capitulari in dubio, an Novitius sit dignus suffragio ad professionem? 37. Quid in dubio casus reservati, vel jurisdictionis?

XXXI. **C**orollarium I. In dubio, an quis sit filius legitimus, vel non? habendus est pro legitimo. Sayr. ubi suprà n. 19. Castrop. pu. 5. n. 3. & seqq. Tambur. t. in Dec. c. 3. §. 7. verbo: legitimus cum communi. Ratio est: quia ejusmodi homo est in possessione sui honoris, donec probetur contrarium. Et hinc cum alijs legitimis potest paternam hæreditatem percipere. Quòd si verò peteret, atque prætenderet hæreditatem à cæteris jam aditam, suam legitimitatem, ceu fundamentum suæ intentionis, probare deberet. Ratio est: quia alij fratres essent in certa possessione, ipsèque non reus, sed actor. In dubijs autem reo potius favendum est, quàm actori. vide *citt.* De expositis infantibus non ita consentiunt DD. nam una sententia, quam etiam amplectitur Clariss. P. Paulus Mezger de Consc. dub. a. 4. §. 2. n. 14. tenet, hos esse habendos pro illegitimis, atque adeò non posse citra dispensationem ad ordines promoveri. Ratio est: quia filij legitimi non ita solent ex poni, sed plerúmque illegitimi. Quare ex communiter contingentibus oritur præsumptio illegimitatis



etis illorum. Altera sententia, quam tuentur Bardi. c. 7. §. 11. Tambur. *loc. cit.* aliique gravissimi Doctores, judicat, expositos esse habendos pro legitimis. Ratio potissimum est: quia esse illegitimum est quædam infamia facti, eaque non levis non modò in prolem, sed etiam in parentes redundans. Infamia autem, cum præsupponat delictum, non præsumitur. Immodò potius in dubio præsumi debet, quod honestius est, sicut declarat Bald. apud Castrop. n. 1. Et hæc præsumptio censenda est efficacior, quàm illa, quæ contra expositos sumitur ex communiter contingentibus. Existimo, hanc sententiam esse probabiliorem.

XXXII. Corollarium II. Quando quis dubitat sive dubio juris, an sit irregularis ( idest, an in aliquo casu, quem incurrit, lege quappiam decreta sit irregularitas) sive dubio facti ( id est, an commiserit ejusmodi delictum, contra quod constet, statutam esse irregularitatem? ) non est judicandus irregularis, præterquàm in dubio voluntariè & injustè perpetrati homicidij. Sanchez. 1. in Decal. c. 5. n. 39. Tambur. *loc. cit.* verbo; *cenfurae*. & alij. Ratio primæ partis est: quia nemo censendus est obligari ad pænam legis non sufficienter promulgatæ. Atqui in dubio juris & legis lex non est sufficienter promulgata; ergo. Ratio secundæ & tertix partis est: quia nemo censendus est irregularis, præterquàm in casibus à jure expressis. Atqui, ut quis in dubio facti censendus sit irregularis, de solo homicidio expressum est; ergo in hoc solo, & non in alijs casibus dubijs quis est censendus irregularis. Cum enim irregularitas sit odiosa, non debet extendi ulterius, quàm jura expressè loquuntur. Vide Laym. *loc. cit.*

XXXIII. Corollarium III. Filius, qui certus est, suos parentes versari in extrema, vel etiam gravi necessitate, non potest ingredi Religionem. Ratio est: quia tenetur parentibus ex certa lege pietatis succurrere. Quòd si dubitet, an sit tanta paren-

tum



tum necessitas? nec possit adhibita sufficienti diligentia dubium vincere, potest, si lubet, ingredi Religionem. Sanchez. *lib. 4. in Decal. c. 20. n. 6.* Tambur. *loc. cit.* verbis: *flij obligatio erga parentes.* Boss. §. 47. n. 1738. Ratio est: quia ejus libertas est certa, & in possessione, dubia verò obligatio succurrendi parentibus. Cæterum si talis vovisset ingressum Religionis, etiam teneretur in ejusmodi dubio ingredi Religionem. Ratio est: quia voti obligatio esset certa, & in possessione, exemptio ab illa incerta.

XXXIV. Corollarium IV. Qui videt, vel audit suum proximum graviter peccantem, v. g. graviter detrahentem, & dubitat invincibiliter, an, si eum corrigit, quidpiam sit profecturus? non teneretur corrigere. Ratio est: quia ut lex charitatis obliget ad correctionem proximi, debet adesse inter alias conditiones probabilis spes emendationis: nam ista est finis fraternæ correctionis. Atqui ubi desperatur consecutio finis, imprudenter adhibenter media. Quare qui dubitat de fructu correctionis, dubitat de ipsa obligatione corrigendi, adeoque manet in possessione suæ libertatis. Cæterum conditiones, quibus positus graviter obligat præceptum fraternæ correctionis, sunt sequentes. Prima est: ut peccatum proximi sit mortale, vel etiam graviter periculosum. Secunda, ut de hoc sis moraliter certus. Procurare tamen inquirendò non teneris certitudinem, nisi fortè sis Superior. Tertia est, ut nemo alius adsit æquè, vel magis idoneus, ac tu, qui correcturus existimeretur. Quarta, ut affulgeat probabilis spes, quòd correctio sit profutura, sicut jam diximus. Quinta, ut locus, tempus, & occasio ad corrigendum sint opportuna. Sexta, ut tibi, vel proximo, quem vis corripere, inde non magnum, vel majus malum immineat. Quòd si vel unica ex his conditionibus deficiat, præceptum fraternæ correctionis non obligat. *Lege Bonac. Disp. 3. Q. 4. de Charit. pu. 7. Laym. lib. 2. Walt. 3. c. 7. n. 2.*

XXXV.



XXXV. Corollarium V. Dubitas, omnibus diligenter pensatis, an Novitius tui Monasterij sit dignus, ut expleto jam novitiatu admittatur ad professionem, atque adeò, an possis pro eo ferre suffragium, vel non? Censeo, te non posse ferre suffragium, quo similem Novitium positivè reprobas, ne admittatur ad Professionem. *Bardic. 9. §. 38.* Tambur. ubi suprà verbo: *Novitius*. Ratio est: quia tale suffragium continet mendacium graviter perniciosum Novitio: ergo id ferre non potes. conseq. patet. Ant. prob. Supponitur, te non habere in mente hoc judicium: *Hic Novitius est indignus, ut emittat professionem.* Quia solùm dubitas de ejus habilitate, ac merito. Ergo dum hoc judicium rogatus sententiam à superiore pronuntias, contra mentem pronuntias. Atqui dum fers suffragium Novitij positivè reprobativum, in effectu, & re ipsa pronuntias illud judicium. Quid enim est prolatò hujusmodi suffragiò reprobare Novitium, quàm aperte judicare, vel testificari, in ipso reperiri defectum, vel impedimentum, ratione cujus sit inidoneus, vel indignus? ergò tale suffragium continet mendacium, & quidem graviter perniciosum Novitio, gravisque damni, quantum in se est, illativum. Confirm. Graviter peccat, qui hominem sine justa causa retrahit vel ab ingressu vel à professione Religionis: ergo etiam graviter, immò gravius peccat, qui absque justa causa Novitium per suam sententiam à professione rejicit: quia illum non solùm retrahit à consecutione tanti boni, sed etiam, quantum in se est, positivè repellit.

XXXVI. Contrarium sentit Caramuel in *nostram S. Regulam c. 60. n. 470. Conclus. 18.* idque probat hęc ratione. Major est obligatio Religiosi, cujus est ferre suffragium in Capitulo, erga suam Religionem, quàm erga similem Novitium. Ergo bonum suæ Religionis præferre tenetur bono Novitij: sed quando  
Novi-



Novitium in prædicto dubio non reprobatur suo suffragio, huic obligationi non satisfacit: quia totam communitatem Religiosam relinquit in periculo retinendi personam inhabilem, & Religioni gravem. Ergo in eo dubio Novitium tenetur reprobare. Addi potest ex Thom. Sanchez, quem refert Sporer *tract. 5. sect. 4. n. 138.* Novitius citra grave peccatum ex Religione egredi potest, etiam, dum non habet justam causam egrediendi: ergo similiter Religiosi suffragatores Novitium per sua vota possunt ex Religione dimittere citra grave peccatum, esto, non habeant justam causam id faciendi. Ant. est certum. consequ. prob. quia Religio non est magis obligata ad retinendum Novitium, quam Novitius ad permanendum in Religione. Est enim utrimque par libertas. & ideo instituitur Novitatus, ut pars utraque probet, & probetur. Respond. ad primum dist. Ant. major est obligatio erga Religionem, quam erga illum Novitium cæteris paribus, & quando res est omnino integra, conc. si cætera non sint paria, neg. atqui in casu nostro res ita se habet: Novitius namque hoc ipso, quod fuerit admittus in Novitium, eumque peregerit, jus acquisivit, ut promoveatur ad professionem, si eam velit emittere, vel nisi inveniatur in ipso defectus, qui hanc promotionem impediatur. Eiusmodi verò defectum probare incumbit Religioni. quem si non probaverit, non poterit absque injustitia Novitium à professione repellere, sed ad summum illius faciendæ tempus differre, donec professari habitas melius innotescat. Ad alterum conc. Ant. neg. consequ. cum sua probat, quia Novitius, ut diximus, acquisivit jus permanendi & professionem faciendi in Religione, quo spoliari non potest propter exceptiones dubias de sua inhabilitate. Unde Religio ad ipsum retinendum est obligata. Novitius tamen non est obligatus, ut permaneat: quia Religioni nullum competit ius ad eum retinendum. Atque hinc vides conditionem

R

liber



libertatis non esse utrimque parem. Aliud dicendum est, dum agitur de sæculari ad Novitiatum admittendo, & est dubium, siue dignus, ut recipiatur, an non? talis Candidatus non est admittendus. Ratio est: quia hic habet nullum jus, ut admittatur, habet autem Religio jus, ut neminem recipiat in Novitiatum, qui non sit positivè dignus, ut recipiatur. Atqui talis non est positivè dignus, et ideo, non debeat judicari indignus, donec probetur. Tambur. Bardi *citt.*

XXXVII. Corollarium VII. Qui dubitat, an peccatum à se commissum sit reservatum? non tenetur existimare, se incurrisse casum reservatum, vel, ut ab illo absolvatur, adire Superiorem. Clariss. P. Paulus Mezger de *Consc. dub. Diss.* 12. a. 4. §. 2. n. 17. & alij. Ratio est: quia reservatio, cum sit odiosa, non debet extendi ad casus dubios, sed solum ad certos. Et aliunde factum non præsumitur, sed probari debet. Confessarius quoque adhibita morali diligentia, adhuc dubitans, an casus aliquis sit reservatus? ab illo potest absolvere. Ratio est: quia ob fundamenta primùm posita potest prudenter præsumere, non esse reservatum. ita *cit.* Quòd si verò dubitet, an habeat legitimam jurisdictionem? non potest absolvere. Ralsler in *tract. de Pœnit. c.* 6. §. 15. Ratio est: tum, quia est gravis irreverentia administrare Sacramentum cum manifesto periculo invaliditatis. Atqui sic dubitans administraret cum tali periculo: cum nullum, atque invalidum sit Sacramentum Pœnitentiæ collatum à non habente jurisdictionem: tum, quia lex prohibens, ne impertiatur absolutio à non habente jurisdictionem, est certa & in possessione.



## §. V.

## Utrum teneamur confiteri peccata dubia?

## SUMMARIUM.

38. Explicatio terminorum. 39. Separantur certa ab incertis, & proponitur status *Questionis*. 40. Fundamentum sententia negativa ex auctoritate. 41. Fundamenta ex ratione. 42. Statuitur sententia affirmans, & probatur primo ex antiquissimo usu, & praxi Ecclesie. 43. Repellitur duplex *Adversariorum* responsio. 44. Probatur communis sententia Secundo auctoritate Concilij Trident. & refelluntur responsiones contrariae. 45. Probatur eadem sententia tertio ex obligatione procurandi justificationem ante sumptionem S. Eucharistiae. 46. 47. Solvuntur fundamenta sententia negativa.

XXXVIII. **V**ltimum est hanc difficultatem impræsentiarum paucis discutere: cum & ipsa ad dubiam Conscientiam vel maxime pertineat. Igitur ex dictis *a* I. §. 1. n. 4. Notandum est primo, dubium negativum esse, quod accidit ex defectu omnis motivi tam ad assensum, quam ad dissensum impellentis. Dubium verò positivum esse, quod oritur ex æqualitate motivorum, & rationum utranlibet partem contradictionis pari efficacia suadentium. Porro motiva vel sunt sufficientia ad probabile iudicium de utraque, vel alterutra parte ferendum, vel in sufficientia? Si hoc posterius, constituent dubium positivum verè, & propriè dictum, quod in cit. §. exposuimus. Si prius, dubium erit impropriè dictum. Non ignoro, ab alijs aliter exponi hæc dubia, dum dubium negativum vocant id omne, quod provenit vel ex defectu, vel ex insufficientia motivorum ad iudicandum. Dubium verò positivum volunt esse illud, quod oritur ex æquali probabilitate motivorum sufficientium ad ferendum prudens iudicium de partibus contradictionis. quod nobis est dubium impropriè dictum. Quidquid sit de modo loquendi, in re non dif-



fidemus. Notandum secundo, dubium positivum aliquando vocari probabile, aliquando improbabile. Dubium probabile idem est quod dubium prudens, & rationabile, sive dignum viro prudente. Hoc toties contingit, quoties dubitans positivè non habet urgens motivum deponendi dubium. Atque hinc colliges, dubitare probabiliter non esse idem, ac assentiri probabiliter; sed esse dubitare prudenter. neque enim assensus confundi debet cum dubitatione. Dubium improbabile est idem, quod dubium imprudens vel irrationabile, dum nempe dubitans habet fundamentum urgens ad non dubitandum, vi cuius possit esse certus, aut ferè certus de objecto, & nihilominùs dubitat: sicut solent scrupulosi. Notandum tertio, tripliciter posse aliquem dubitare de peccato. Primo. An illud commiserit. v. g. an consenserit tentationi libidinosa? Secundo. An id, quod scit se commississe, sit mortale, vel veniale? Tertio. An id, quod certo scit, se commississe, & esse peccatum mortale, fuerit confessus?

XXXIX. Suppono jam primo, peccatum mortale dubium dubio improbabili, in quo dubitans habet fundamentum urgens ad judicandum, quòd peccaverit, & nihilominùs dubitat, esse confitendum: dubium verò dubio improbabili, in quo adest fundamentum urgens ad judicandum, quòd non sit commissum, non esse confitendum. Ratio primi est: quia sic dubitans non habet ullum rationabile motivum, ex quo possit præsumere, se esse innocentem. Unde titulus possessionis ei nihil suffragatur. Ratio secundi est: quia tale dubium non differt à scrupulo. Atqui scrupulos, ut infra videbimus, non tenemur confiteri; ergo. Suppono secundo, dubitantem impropriè propter motiva utrimque probabilia hinc stantia pro existentia, illinc pro non existentia peccati, non teneri ad ejus confessionem: Ratio est, quia licitè sequitur sententiam probabilem, etiam minùs tutam: ut deinde videbimus.

bimus.



bimus. Idem est, quando sic dubitas, an peccatum, quod certò commisisti, fuerit mortale? vel aliquando clavibus subjectum? Suppono tertio, eum, qui certus est de peccato commisso, dubius autem dubio propriè dicto, an illud fuerit confessus? obligari ad confitendum. Ratio est: quia tunc præceptum integrè confitendi est in certa possessione obligationis; dubia verò ejus impletio. His positis, punctum controversiæ in eo consistit, an, quando dubitas dubio propriè dicto, sitne peccatum à te commissum? vel sitne mortale, aut veniale? tenearis id confiteri?

XL. Negat absolutè Caramuel apud Joan. de Cardenas *tract.* 6. *disp.* 46. c. 1. idem docet Ægid. Coninck. *de Pœnit. disp.* 7. *dub.* 8. Petrus Marchant. *trib. p. 1. tract.* 5. *tit.* 4. *q. 5. concl.* 1. & 2. ut refert Sporèr *parte 3. Tyroc. c. 2.* alios plures, qui favent huic sententiæ, vel subscribunt ut probabili, congerit Ardekin. *Theolog. trip. parte. 3. tract.* 1. *q. 19.* immò Caramuel citat pro ea 22. Authores, ex quibus tamen Cardenas ei plures non concedit, quàm octo. Primum fundamentum hujus doctrinæ desumitur ex Conc. Trid. *sess.* 14. c. 5. ubi asserit, *ea tantum peccata in confessione explicanda esse, quorum quis Conscientiam habet.* Item ea, quibus quis Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, que diligenter cogitanti non occurrunt, eadem confessione inclusa intelligi. Atqui (subsumitur) qui dubitat, an peccaverit? non meminit, se DEUM mortaliter offendisse: quia verbum *memini* omnem dubitationem excludit. Item: non habet Conscientiam peccati, de quo dubitat, an commiserit? quia habere Conscientiam peccati est esse conscius peccati. Sed dubius, an peccaverit, non est sibi conscius peccati: quia *esse conscius* importat scientiam & certitudinem. Ergo qui ita dubitat, non tenetur confiteri.

XLI. Arguitur secundo rationibus. Prima est. Tribunal

R 3

Pæ-



Pœnitentiæ est analogum tribunali forensi & litigioso. Atqui in nullo tribunali forensi admitti debent accusationes de criminibus aëtori dubijs. sanè non audiretur à iudicibus, qui diceret: *appello de homicidio Cajum, quia dubito, an occiderit?* Appello Titium de furto equi; *quia ipse fortè abegit.* Ergo nec in tribunali Pœnitentiæ admitti debent accusationes de peccatis dubijs. Secunda. non est æquum, ut quis in foro externo subeat pœnam certam, antequàm sit convictus de crimine: ergo nec in Tribunali Confessionis. Atqui dubius, an peccaverit mortaliter? non est convictus de crimine: ergo non est æquum, ut subeat certam pœnam. Ergo non teneur in tali dubio confiteri. quia alioquin deberet subire certam pœnam, videlicet Pœnitentiam, de crimine non convictus. Tertia. Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ tanquam secundam in naufragio tabulam, & ut necessarium hominibus lapsis post baptismum. ergo id non instituit ut necessarium illis, de quibus dubitatur, an sint lapsi? probo conseq. quia tales non possunt dici cum veritate lapsi, neque præsumi. Cùm factum in dubio non debeat præsumi, sed probari. Atqui de illo, qui dubitat, an peccaverit mortaliter? dubitatur, an sit lapsus? ergo. Quarta. *In dubio melior est conditio possidentis.* Item. *In dubio favendum est reo. nec quisquam præsumitur malus, donec probetur.* &c. Atqui dubius, an peccaverit? est in certa possessione suæ innocentia, illaque spoliari per superventum dubij non debet. Neque potest probari nocens. ergo est melioris conditionis, quàm præceptum confitendi incertum. Atque adeò judicare potest, se esse innocentem, & non obligatum ad confessionem peccati dubij. Quinta. Præceptum incertum non obligat: sed præceptum confitendi peccata dubia est incertum: ergo non obligat. Ma. constat, quia hujusmodi præceptum non est sufficienter promulgatum, mi. prob. præceptum, quod plures graves Theologi negant, esse



esse certum, vel omninò judicant, non existere, est incertum: sed plures graves Theologi negant, præceptum confitendi peccata dubia esse certum, immò judicant, omninò id non existere, ut visum est *nism præc.* ergo est incertum.

XLII. His neutiquam obstantibus, sententia affirmans, dubitantem dubio propriè dicto, sive probabili, an peccatum aliquod commiserit? vel an id, quod commisit, mortale sit, an veniale? teneri confiteri, adstruenda est omnibus modis, cum sit communissima & ferè omnium paucis exceptis. Quare prætermittenda auctoritate, quam huic antiquissimæ doctrinæ summam conciliat ingens multitudo gravissimorum Doctorum, probatur sententia affirmativa primo. Certum est, Christum ita potuisse instituire Sacramentum Pænitentiae, ut ejus Tribunali necessariò subijcerentur peccata mortalia, non tantùm certa, sed etiam dubia, non obstante regula Juris: *in dubio melior est conditio possidentis.* Nam & summus Pontifex eo principio non attento ligare potest libertatem fidelium; ut patet in dubio perpetrati homicidij, ubi sacerdos jubetur se reputare irregularem, atque adeò privatur possessione libertatis. Atqui Christus ita instituit Sacramentum Pænitentiae; ergo peccata mortalia dubia confiteri tenemur. mi. prob. Usus antiquissimus, communis, & perpetua fidelium praxis ac consuetudo, cujus initium in lege nova ignoratur, confitendi peccata dubia cum firma persuasione, esse gravem obligationem ea confitendi, efficacissimè convincit, esse gravem obligationem, atque adeò ex institutione Christi derivatam. Atqui hujusmodi usus, praxis, & consuetudo fidelium cum firma persuasione gravis obligationis semper viguit in Ecclesia usque adhuc ultima tempora, quibus unus aut alter recens Theologus ausus est antiquissimi moris ac dogmatis canitiem laceffere, idque vocare in controversiam, de quo dubitare omnes probi & docti torretò



trò seculis nefas esse putârunt. Ergo à primo ad ultimum est gravis obligatio confitendi peccata dubia, atque ex voluntate Christi Sacramentum Pœnitentiæ cum illa instituentis derivata. Jam *major* hujus discursus prob. inductione similium. Nam oleum, quo Ecclesia utitur in Sacramento extremæ Unctionis, esse benedicendum ab Episcopo: item Chrisma esse liquorem ex oleo, & balsamo confectum: Sacrificium præterea Missæ utiliter offerri pro defunctis, uti & varios ritus ac cæremonias in hoc sacrificio esse servandas, &c. Ex Apostolica traditione, atque adeò Christi institutione ad nos promanavit, ut asserit Conc. Trid. apud Franc. Bardi. *discept. 6. c. 11. p. 4. §. n. 5.* idque rectissimè colligitur ex antiquissimo usu, immemoriali praxi, & consuetudine Ecclesiæ conjuncta cum firma omnium persuasione, ita & non aliter fieri oportere. Cùm itaque similis praxis & consuetudo confitendi peccata dubia semper extiterit in Ecclesia, & fideles per tot secula communiter ac firmiter existimaverint, ea confitendi esse gravem obligationem, rectissimè inferimus, hanc obligationem esse gravem atque ex institutione Christi & Apostolica traditione descendere.

XLIII. Respondent primo, non constare, ejusmodi consuetudinem confitendi peccata dubia, esto, concedatur existere, unquam fuisse obligantem; sed tantum ut piam, & pro majori securitate conscientiarum frequentatam absque ulla de gravi obligatione, vel institutione Christi persuasione. Sed contra est. Omnes Doctores usque ad præsens sæculum unanimiter docuerunt, esse gravem obligationem confitendi peccata dubia: ergo firmiter sibi persuaserunt, esse obligationem gravem, idque non tantum in libris, & Scholis, sed etiam in praxi, cum non nisi gratis, ac temerè præsumi possit, viros sapientes in hac re, quæ vel maximè ad animæ salutem pertinet, aliud egisse, aliud docuisse.

Jam



Jam verò, quod sapientes unanimiter dicunt, & tenent, insipientes atque indocti credunt, ipsique sequuntur. Ergo homines indocti à doctrina sapientum asseverantium, esse gravem obligationem confitendi peccata dubia, in praxi non dissenserunt, cum nemini de probabilitate sententiæ contrariæ quidquam constiterit. Ergo omnes fideles sibi firmiter persuaserunt, esse gravem obligationem confitendi peccata dubia. Ergo meritò asseruimus, eam consuetudinem non tantum ut piam, magisque tutam, sed etiam ut graviter obligatoriam semper in tota Ecclesia viguisse: cumque de ejus initio non constet, id ad Apostolicam traditionem referendum. Respondent secundo, hoc argumentum nobismet esse solvendum, si convertatur adversus Immaculatam Beatissimæ Virginis Conceptionem, quam defendimus, hoc modo: fuit praxis & usus Ecclesiæ non celebrare festum Immaculatæ Conceptionis, ejusque praxis non habetur initium: ergo credendum est, ab ipsis Apostolis præmanasse: ergo non est celebrandum hoc festum. Verum hic modus evadendi facillimè repellitur. Nam aliud est negatio consuetudinis: aliud positiva consuetudo. Atqui usus, & praxis non celebrandi festum Immaculatæ Conceptionis fuit solum negatio consuetudinis. Ex negatione verò consuetudinis malè infertur prohibitio. Patet exemplis. Antehac erat consuetudo, & praxis non circumgestandi solemniter S. Eucharistiam per plateas die ipsi festiva, vel celebrandi festum dolorum, aut nominis Beatissimæ Virginis: sive erat negatio consuetudinis similium solemnitatum. Hinc tamen nemo intulerit, fuisse similia positivè prohibita. Atqui positiva consuetudo, eaque antiquissima, & quæ ab omnibus reputatur obligatoria, planè arguit præceptum, & traditionem Apostolicam. Agnovit hoc S. August. lib. 4. contra Donat. cap. 6. *illa consuetudo (inquit) quam & tunc homines sursum versus aspicientes non*

S

*videbant*



*videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita cre-  
ditur.* Similiter epist. 118. ut solvat eam quæstionem, quid fa-  
ciendum sit in materia Ecclesiastica? statuit praxim, & consue-  
tudinem universalis Ecclesiæ pro regula infallibili illis verbis: *simi-  
liter, siquid horum tota frequentat Ecclesia.* Nam hoc, quin ita  
faciendum sit, disputare, insolentissima insania est. Quare si ab  
exortu Ecclesiæ extitisset continua consuetudo celebrandi festum  
Immaculatae Conceptionis; sicut extitit consuetudo confitendi  
peccata dubia, pari jure inferremus, id suam originem, obliga-  
tionemque traxisse ab Apostolis.

XLIV. Prob. communis sententia secundo ex *Trident. sess.  
14. cap. 1.* ubi sic habet: *oportet à penitentibus omnia peccata  
mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam ha-  
bent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* Addit  
deinde. *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur,  
quamvis utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam,  
multisque alijs remedijs expiari possunt.* Ex his verbis Concilij vi-  
des, illud à materia necessaria confessionis solum excludere pec-  
cata venialia, eaque mortalia, quæ diligenter discussâ Conscien-  
tiâ memoriæ non occurrunt. Ergo peccata mortalia dubia, quæ  
memoriæ occurrunt, intra materiam necessariam confessionis in-  
cludere censendum est, cum exclusio unius sit alterius inclusio;  
ut asserunt Jurisperiti, dum loquimur de rebus, quæ possunt  
includi & excludi. Respondent primo, Concilium idè præci-  
pere confessionem mortalium, quia homines constituunt filios iræ,  
Deique inimicos. Hanc autem rationem minimè procedere de  
mortalibus dubijs. Nam ista, quamdiù maneant dubia, non  
constituere hominem nocentem, Deoque offensum. Sed con-  
tra est. Hominem esse, vel non esse DEI inimicum non depen-  
det à dubio, vel etiam iudicio, quod quis hodie habet de actione he-  
terna



sterna, an nempe fuerit commissa, culpaque mortalis, vel non? sed ab opere re ipsa commisso. Cum dubium præsens, aut etiam iudicium de actione præterita eam neque bonam, neque malam possit efficere. Quare sicut non sequitur, me esse inimicum DEI, quia dubito, vel credo, me peccasse mortaliter, si re ipsa non peccavi mortaliter: ita non sequitur, me non esse DEI inimicum, quia dubito, vel certò credo, me non peccasse, quando re ipsa peccavi mortaliter. Cum itaque soleat contingere, ut etiam peccatum mortale dubium manens dubium constituat hominem filium iræ, Deique inimicum, si re ipsa sit perpetratum, non minus, quam peccatum, quod certò creditur perpetratum, Sacra Synodus non habuit maiorem rationem præcipiendi confessionem peccati mortalis certi, quam dubij. Respondent secundo, Concilium non magis meminisse peccati dubij, quam circumstantiarum merè aggravantium. Ergo sicut propterea multi Doctores inferunt valdè probabiliter, has circumstantias non esse materiam necessariam confessionis, ita valdè probabiliter inferre licet, non esse præceptum confitendi peccata dubia. Sed contra est: Concilium *sess. cit. c. 5. can. 7.* expressit solùm circumstantias speciem mutantem: nam, *præterea*, inquit, *colligitur, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, qua speciem peccati mutant.* Unde ex opposito videtur exclusisse circumstantias speciem non mutantem, nam asserens, esse obligationem ad unum, implicite negat, esse obligationem ad alterum in illo non contentum. Atqui non expressit peccata certa, sed præcepit indeterminate, ut confiteremur omnia peccata mortalia, inter quæ etiam contineri possunt peccata dubia. Ex quo patet disparitas.

XLV. Prob. tertio. Illa peccata sunt materia necessaria confessionis, de quibus ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio; sed de peccatis mortalibus dubijs ante sumptionem



Eucharistiæ procuranda est justificatio; ergo peccata mortalia dubia sunt materia necessaria confessionis. Major colligitur iterum ex *Trident. sess. 14. cap. 7.* ubi præcipit, ut *nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad Eucharistiam accedere debeat.* Ex quibus apparet, dispositionem susceptioni Eucharistiæ præviam non consistere in sola contritione, sed insuper in sacramentali confessione, atque adeò per hanc quoque, non solum per illam peccata, de quibus tunc procurari debet justificatio, necessariò abolenda esse. Atqui peccata necessariò abolenda per confessionem sunt materia necessaria confessionis; ergo peccata, de quibus ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio, sunt materia necessaria confessionis, *minor prob.* de omnibus illis peccatis procuranda est justificatio ante sumptionem Eucharistiæ, quæ non compatiuntur in sumente iudicium probabile de statu gratiæ: sed peccata mortalia dubia non compatiuntur iudicium probabile de statu gratiæ; ergo de illis ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio. *maj. prob.* homo, priusquam suscipiat Eucharistiam, se dignum probare debet hoc Divinissimo epulo, secundum illud *Apost. 1. Corinth. 11. probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* Ergo tenetur formare iudicium probabile speculativum, se esse in statu gratiæ. quia nemo præterquam iustus, hoc Sacramento est dignus. Ergo ulterius tenetur, quantum in ipso est, amoliri omnia, cum quibus iudicium illud probabile componi non potest. *mi. etiam prob.* nam dubium de statu gratiæ non compatitur iudicium probabile de statu gratiæ, ut constat ex definitionibus dubij & opinionis probabilis: sed peccatum mortale dubium, sive dubium de peccato mortali commissò, est simul dubium de statu gratiæ; ergo non compatitur illud iudicium.



XLVI. Ad primum ex Fundamentis contrarijs dico, hic maximè attendi debere mentem PP, Conc. Trident. quæ non erat eo loco præsentem Theologorum controversiam decidere, sed retundere Hæreticos impiè questos, præceptum confessionis esse de re impossibili, eoque præcipi, ut fideles confiteantur illa quoque peccata, quorum non recordantur. Quare Concilium decrevit contra Hæreticos, ea solùm peccata esse subijcienda clavibus Ecclesiæ, quorum fideles discussâ diligenter conscientiam recordarentur. Ex quo manifestè conficitur, à S. Synodo obligationem confitendi peccata dubia in eo statu fuisse relictam, in quo erat ante ipsam. Atqui ante Trident. Synodum, immò & post illam ea obligatio fidelibus omnibus & doctis, & indoctis fuit certa, saltem usque ad tempora Th. Sanchez, qui id testatur in *Summa*, quam scripsit ferè ad annum 1610. Lege, si placet, virum doctissimum *lib. 1. dicti operis cap. 10. n. 66.* Ergo obligatio confitendi peccata dubia à Synodo non fuit sublata, sed relictâ in ea certitudine, quam antè habuerat. Unde Doctores contrarij de tanta Authoritate, cui plurimùm fidunt, inaniter glorientur. Negandum est igitur, eum, qui dubitat, an peccaverit mortaliter? non meminisse, quòd Deum offenderit, illâ memoriâ, quam ibi intelligit Tridentinum. nam loquitur de memoria, prout hæc opponitur oblivioni. Atqui memoria opposita oblivioni etiam cadit in dubia. cùm horum ut oblivisci, ita & recordari soleamus. Præcipit itaque Concilium, ut quis omnia peccata confiteatur, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit, eo modo, quo meminerit, certò, vel sub dubio. Ad textum priorem similiter dico cum P. Illung *tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 4. n. 113.* ibi nomen conscientie non sumi rigorosè, sed prout opponitur oblivioni, quod etiam conscientie dubie convenit. Unde & peccata dubia dici possunt existere in conscientia, non ut certa, sed ut dubia.



Sanè illorum omnium, quæ nos remordent, ut etiam solent mortalia dubia, dicimur habere conscientiam. Nam aude cum veritate dicere, si potes, *nihil mihi conscius sum*, quando sentis remorsum peccati mortalis, sive certi, sive dubij. Denique nomina *conscientia*, & *consciis* hic non importare determinatè certitudinem de existentia peccati mortalis, vel inde convincitur, quod alioquin sequeretur, nullam quoque esse obligationem confitendi peccatum mortale, de quo quis habet iudicium probabile, quod commiserit, etiam dum caret omni motivo probabili, quod illud non commiserit. nam neque iudicium probabile est scientia. Si ergo Concilium eos solùm obligat ad confessionem peccati, qui de hoc certam habent scientiam, ut volunt adversarij, non obligat eum, qui habet de illo iudicium merè probabile. Sed consequens est falsum, ut nemo diffitebitur; ergo.

XLVII. Ad I. Ex rationibus respondeo, discrimen inter tribunal forense, & Sacramentale esse longum & latum. Nam in primis tribunal forense primò, & per se constitutum est, ut reus puniatur, qui delictum patravit. e contra tribunal sacramentale est institutum, ut reus, si delictum fateatur, liberetur, & absolvatur, non autem, ut puniatur. Unde hoc tribunal suapte institutione est reo exoptabile, & favorabile. Deinde certissimum est, eum, qui confitetur peccatum merè dubium, & nullum aliud, posse in foro pœnitentiæ validè absolvi. Ex quo manifestè conficitur, accusationem de delictis dubijs posse habere locum in tribunali sacramentali, esto non possit in tribunali forensi. Hinc plura discrimina sciens omitto, & in forma argumenti (siquam habet) dist. mai. Tribunal Pœnitentiæ est analogum tribunali forensi in aliquibus conc. in hoc determinato, quod modò versatur in controversia, neg. mai. &c. Sanè ex conditionibus tribunalis forensis hîc malè arguitur natura tribunalis sacramentalis: at benè ex voluntate



unitate & institutione Christi, qui illud potuit sic instituire, ut ei subijcerentur etiam peccata mortalia dubia. Atqui re ipsa ita instituisse probant nostra argumenta. Ad II. conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quod sententia iudicij forensis sit condemnatoria, & non indultoria. Quare iniqua est, quando infligit certam pœnam de crimine non convicto. Atqui sententia Confessarij imponentis pœnitentiam satisfactoriam, & absolventis non est sententia condemnatoria, sed indultoria, ac magnus rei favor. acquirit enim per eam pœnitentiam securitatem probabilem & remissionis culpæ, & pœnæ saltem partialis, quam securitatem prius non habebat. Ex quibus patet ad reliqua. Ad III. Constat ex dictis, Christum sacramentum pœnitentiæ instituisse non tantum pro illis, qui certò nôrunt se lapsos, sed etiam pro illis, qui rationabiliter dubitant, num fuerint lapsi? atque adeò pro lapsis vel certò vel sub dubio. In probatione consequentis nego suppositum, quod quisquam, qui dubitat, an sit lapsus? in foro pœnitentiæ præsumatur esse actu lapsus. nam neque pœnitens debet dicere, se esse lapsum, sed solum, se dubitare, num fuerit lapsus: neque Confessarius debet iudicare, pœnitentem fuisse lapsum: Unde ad IV. respondeo, illa axiomata necquicquam, & penitus extra rem obijci. Nam in primis nego, hic dubitantem esse in possessione. hæc quippe, ut satis ostendimus, stat pro lege, & obligatione confitendi. Deinde in dubio peccati mortalis magis favetur reo, dum de illo obligatur se accusare, quàm dum non obligatur. quia hæc accusatio, & totum iudicium pœnitentiæ in favorem rei est institutum. Demum confitens hæc non præsumitur malus. quia non tenetur peccata dubia confiteri ut certa. Ex hoc autem nullum præjudicium ejus innocentia con- sciscitur. Ad V. Respondeo ex Joanne de Cardenas, standò in principijs directis, quæ militant in castris sententiæ communis, præ-



præceptum confitendi peccata dubia esse probabilissimè certum. Quod si discurremus ex principio reflexo, sive ex hypothese probabilitatis sententiæ negativæ, fatendum est, dictum præceptum esse incertum. nam probabilitas unius extremi infert indispensabiliter incertitudinem alterius oppositi. Verùm ea probabilitas solùm est Speculativa, quæ non obstat, quominus nostra sententia sit practicè certa.

## CAPUT IV. DE CONSCIENCIA PROBABILI.



Controversiam hoc seculo celeberrimam, & à summis Doctoribus ingenti partium studio calidissimè decertatam impræsentiarum excitamus. Agendum est enim de licito usu sententiæ probabilis, qui unus in rebus moralibus Theologorum calamos, & ingenia hætenus maximè exercuit. Quod quidem argumentum rectè tractare ut longè difficillimum, ita & summi momenti est. Ego in hac Quæstione versabor nec planè parcus, nec multùm amplius: quippe quam viri Sapientissimi complures ita præclare, copiosèq; discussissent, ut aliquid ultra dicere ferè sit actum agere. Ad rem igitur ut veniamus, statuendus est ante omnia genuinus, atque legitimus conceptus seu definitio cùm Probabilitatis, tum opinionis probabilis. Nam dici non potest, quanta hujus ad omnia, quæ dicemus, sit futura necessitas. Itaque sit.

AR.



## ARTICULUS I.

## De essentia Probabilitatis, &amp; sententiæ probabilis.

## §. I.

## Quid, &amp; Quotuplex sit Probabilitas?

## SUMMARIUM.

1. Probabile quid nominis? 2. Quot modis veritas apparere possit intellectui? 3. Definitio Probabilitatis. 4. Ejus divisio in intrinsecam, & extrinsecam. Quid sit extrinseca? 5. Quid sit intrinseca Probabilitas? 6. Quid Probabilioritas?

I. **H**Oc nomen Probabile, veluti notat Esparza apud Thyrsium Gonzalez de Consc. Probab. dissert. 1. §. 4. n. 17. idem sonat, quod approbabile, sive dignum, ut approbetur, seu commendetur. Et ideo apud Veteres probabile dictum idem erat, ac dignum commendatione, sive commendabile. Quapropter ad rem nostram Probabilitas nihil est aliud, quam passiva approbabilitas, seu meritum & dignitas, qua aliquid meretur, & constituitur dignum, ut approbetur, & commendetur. Sicut amabilitas, seu bonitas est ratio formalis, qua res quæppiam constituitur amabilis, vel digna, ut ametur. Ex quo sequitur, Probabilitatem alicujus sententiæ esse formaliter id, ratione cujus est digna, ut ab intellectu approbetur, veraque esse censeatur. Quæ res ut amplius declaretur.

II. Notandum est ex Terillo in tract. de Consc. prob. q. 2. n. 13. Omne verum, quod apprehenditur, & apparet in intellectu, stimulare, atque allicere cognoscentem ad præstandum assensum. Porro apparentia veri alia evidens, alia est inevidens. Evidens excludit omnem apparentiam de veritate oppositi, & rapit intellectum necessario ad assensum. Inevidens non excludit omnem apparentiam de veritate oppositi; & ideo non necessitat ad assensum, sed relinquit intellectum, ut assentiatur, determinabilem à

T

libero



libero imperio voluntatis. Rursus apparentia veri inevidens alia fallibilis, alia est infallibilis. Infallibilis non potest non esse connexa cum veritate. Apparentia veri fallibilis potest non esse connexa cum veritate, & est duplex: scilicet illa, quæ sæpius connectitur cum veritate, quàm cum falsitate: & alia, quæ sæpius connectitur cum falsitate, quàm cum veritate. Evidens apparentia veri constituit motivum scientificum, cui intellectus non potest dissentire. Apparentia inevidens, & simul infallibilis constituit motivum fidei Theologicæ. huic potest intellectus absolutè dissentire; sed non absque nota imprudentiæ. Apparentia fallibilis, quæ sæpius connectitur cum veritate, quàm cum falsitate, constituit motivum perbabile, id est, dignum, cui intellectus assentiatur; sive tale, cui possit prudenter assentiri, ita tamen, ut etiam de veritate oppositi possit prudenter formidare, omnémque assensum suspendere. Demum apparentia fallibilis, quæ sæpius connectitur cum falsitate, quàm cum veritate, constituit motivum improbabile, id est, indignum, cui intellectus assentiatur, sive tale, cui non possit, nisi imprudenter assentiri, eò quòd nulla in hac apparentia affulgeat spes rationabilis assequendi veritatem, quæ est finis ipsius. Ex his jam

III. Dico primo. Probabilitas ut sic est *Apparentia veri fallibilis ob suam magnitudinem apta ad fundandum prudentem assensum.* Hæc definitio videtur manifestè bona debite, quæ primùm diximus, meditati, nec differt quoad sensum ab illa proluxiore Terilli ubi suprà *assertione 10.* Probabilitas, inquit, est apparentia veri fallibilis adeò magna, ut illa digna sit assensu: seu, ut, qui illi absolutè assentitur, ut prudens meritò laudari, nullatenus tanquam temerarius & imprudens reprehendi possit. Hæc descriptio nobis vel ideò est utilis, quòd sit amplior nostræ definitionis explicatió. Definitur itaque Probabilitas à posteriori ceu causa  
per



per effectum præcipuum, nempe assensum prudentem, quem propter frequentiore connexionem cum veritate, quàm cum falsitate apta est parere in intellectu. Et hinc à contrario colligitur, quid sit improbabilitas: videlicet *Apparentia veri fallibilis ob suam exilitatem non apta ad fundandum prudentem assensum.* Provenit hæc exilitas à frequentiori connexionem cum falsitate, quàm cum veritate: inde enim fit, ut intellectus tali apparentiæ non possit prudenter fidere: cum illam sequens facillimè aberret à suo fine, qui est veritas; immò sæpiùs amplectatur falsum, quàm verum.

IV. Dico secundo, Probabilitas dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. Ita omnes, Declaratur. Probabilitas extrinseca, sive authentica illa dicitur, quæ fundatur in autoritate dicentis aliquid: & potest definiri, quòd sit *Apparentia veri tam magna fundata præcise in fallibili auctoritate dicentis, ut possit generare prudentem assensum.* Cæterum omnis auctoritas duplicem includit veracitatem, quatum una est veracitas in cognoscendo; altera veracitas in loquendo. Prima consistit in sufficienti cognitione rerum, ex qua quis præsumitur non falli, vel errare in iudicando. Secunda est sincera ingenuitas personæ loquentis in conformando dicta conceptibus, ne fallat mentiendò. Utralibet istarum veracitatum deficiente tollitur auctoritas ad persuadendum rationabilem assensum sufficiens. Patet hoc: nam nemo prudenter assentitur Dæmoni: quia non est verax in loquendo quamvis sit verax in cognoscendo. Similiter non solemus adhibere fidem homini quantumcùnq; probo circa rem, cujus est ignarus, aut imperitus, quia non est verax in cognoscendo, quamvis sit verax in loquendo. Et ideò non nisi hominibus probis, & simul peritis prudenter credimus, & assentimur.

V. Probabilitas intrinseca est omnis illa, quæ habetur in-



dependentem ab auctoritate loquentis, & ideo potest defini: *fallibilis apparentia veri ab auctoritate loquentis independens adeo magna, ut sit apta ad fundandum prudentem assensum.* Porro loci ac fontes, ex quibus hauriri potest hæc probabilitas, sunt primo lex, ejusque explicatio, & concordia circa legem. Secundo. Consuetudo, quæ & legis interpretis est, & vim legis ipsa obtinet. Tertio Titulus possessionis, de quo supra. Quarto. Necessitas, hæc enim, cum legem non habeat, multa alioquin illicita reddere solet licita. Quinto. Effectus, damna, absurda, quæ vel sequuntur, vel secutura rationabiliter videntur ad aliquam operationem. Sexto. Finis, natura, proprietates alicujus objecti, ita hic a. 2. §. 1. n. 1. Clariss. P. Paulus Mezger.

VI. Ex dictis jam facile deducitur, quòd si Probabilioritas, ut vocant, sive major probabilitas, & quid minor? cum enim Probabilitas consistat in apparentia veritatis, quantò major, vel minor est hæc apparentia, tantò major, vel minor est Probabilitas. Illa proinde apparentia est probabilitas major, quæ plures peritos & probos irreprehensibiliter & ut viros doctos ac probos decet, judicantes allicit ad assensum. Minor est, quæ pauciores ejusmodi viros allicit ad assensum. Quando verò duæ apparentiæ æqualiter multos alliciunt ad assensum, constituunt probabilitates æquales. Nam ex perfectione, & magnitudine effectus præcipui, qui in præsentem est assensus causatus in intellectu prudentium, rectè colligitur perfectio, & magnitudo causæ, ita ut majoritas effectus arguat majoritatem, minoritas minoritatem; æqualitas æqualitatem, causæ, quæ hinc est Probabilitas.

## §. II.

*Quid, & Quotuplex sit Sententia probabilis?*

## SUMMARIUM.

7. *Definitio, conditiones, & proprietates sententia probabilis.* 8, 9. *Divisiones*



*siones Opinionis probabilis. 10. An dua opiniones contradictoriae possint esse simul probabiles? 11. An sententia probabilis improbabilis, & improbabilis fieri possit probabilis? 12. An omnis opinio Speculativè probabilis sit etiam practicè probabilis? 13. Directe non probabile fieri potest probabile indirectè. 14. Non omnis opinio probabilis quoad se est probabilis quoad nos, & neque econtra. 15. Quando unum contradictorium est alicui certum, argumenta etiam insolubilia non possunt ei alterum contradictorium reddere probabile.*

VII. **D**ico primo. Sententia probabilis rectè definitur: *judicium fallibile quidem, sed rationabili motivo innixum.* Dicitur *judicium fallibile*, quod est genus in hac definitione. *judicium* quidem, ne confundatur cum dubio propriè dicto. *fallibile*, id est, opinativum, & includens formidinem oppositi, ut discernatur ab assensu scientifico, & fidei Divinæ. Dicitur, *rationabili motivo innixum*. quæ particulæ sunt ultima differentia, qua definitum differt ab opposita specie, videlicet opinione improbabili. Nominè porrò motivi rationabilis illud intelligitur, quod à prudentibus citra passionem & affectum judicantibus existimatur dignum assensu, ita, ut, qui illi præbet assensum, meritò laudari ceu prudens; neutiquam verò velut imprudens possit reprehendi. Tale motivum formaliter habetur per quamlibet veram & certam probabilitatem, sive extrinsecam, sive intrinsecam, de quibus in priori. Ex dictis sequitur primo, motivum, quo nititur opinio probabilis, debere esse positivum, & non sufficere, ut sit probabilis, negationem fundamenti in oppositum. Nam nemo prudenter assentitur objecto hujus prop. *Sidera sunt paria*, licet non habeat motivum dissentientiendi. Sequitur secundo, motivum sententiæ probabilis debere esse magnum, & rationabile non solum absolutè, sive secundum se, sed etiam comparativè ad motiva faventia parti oppositæ, ita ut ab his non enervetur ejus efficacia, & vis trahendi ad assensum: quo modo enervari & elidi solent mo-



tiva cujuslibet hæresis comparata cum motivis fidei Catholicæ. Et hinc sequitur tertio, nullam opinionem esse probabilem, quæ repugnat vel S. Scripturæ, vel traditionibus Ecclesiæ, ejusque definitionibus: quia nemo, nisi temerè opinari potest contrarium ejus, quod comprobatur auctoritas tam infallibilis. Sequitur quarto, nullam sententiam esse probabilem, cujus contradictoria est certa sive certitudine Metaphysica; sive Physica; sive morali. Ratio est: quia certitudo etiam moralis (nam de Physica & Metaphysica res est evidens) in aliqua sententia reperta ita evertit motiva contradictoriæ, ut eis intellectus non possit prudenter assentiri: nititur enim rationibus adeò solidis, ac efficacibus, estque conjuncta cum tam clara, & robusta solutione argumentorum in contrarium, ut omnem de hujus veritate rationabilem formidinem excludat. Lege de his omnibus Terillum *loc. cit. num. 41.* Joan. de Carden. *in Crisi Theolog. tomo 1. tract. 1. disp. 1. item disp. 15. num. 371. & alibi. Illung Theolog. pract. tract. 1. Disp. 1. a. 6. §. 1.*

VIII. Dico Secundo. Opinio probabilis dividitur in intrinsecè, & extrinsecè: in speculativè, & practicè: in directè, & indirectè probabilem. item in probabilem quoad se, & probabilem quoad nos. & hæc demum in certò, & probabiliter probabilem. Opinio intrinsecè probabilis est, quæ nititur rationabili motivo independentè ab auctoritate loquentis. Extrinsecè probabilis est, quæ pro suo motivo habet auctoritatem loquentis. Speculativè probabilis est, quæ nititur motivò alicujus momenti de veritate objecti secundum substantiam, & absque omnibus circumstantiis, vel particulari exercitio Spectati. Practicè probabilis est, quæ habet rationabile motivum pro honestate actus consideratis omnibus circumstantiis hæc & nunc exercendi. Opinio directè probabilis illa dicitur, cujus probabilitas fundatur in ipsa natura



tura objecti. Hoc modo probabile est, inspectâ pictorij artefacti naturâ, pingere non esse opus servile. Indirectè, sive reflexè probabilis est, cujus probabilitas vel sumitur ex probabilitate directas vel ex argumentis in natura rei non fundatis, & aliunde accersitis. ita qui ex illo fundamento, quòd opus pingendi probabiliter non sit servile, judicat, esse probabile, quòd liceat pingere die festo, habet opinionem reflexè probabilem; quia ejus probabilitas oritur ex illa priori tanquam objecto, supra quod reflectit. similiter subditus, cui directè probabile est, bellum esse justum, atque ad illud vocatus à principe judicat, sibi bellare esse licitum ex illo principio, quòd in incertis tutum sit obedire superiori, habet novam probabilitatem, eamque reflexam; licèt fortè dicatur meliùs indirecta: cùm non fundetur in directa, sed in circumstantia extrinsecùs illi adjecta.

IX. Opinio probabilis quoad se est, quæ verè, & à parte rei habet motiva ad rationabilem assensum sufficientia. Probabilis quoad nos est, quæ talia motiva habet in intellectu assentientis. Jam verò probabilitas opinionis vel nobis est certa, ita, ut non dubitemus, aut formidemus de illa: vel est nobis solùm probabilis: sive solùm innotescit probabiliter? si prius, opinio est certò probabilis: si posterius, est solùm probabiliter probabilis. Huc referri potest opinio dubiè probabilis: estque illa, de cujus probabilitate sapientes dubitant, sive de cujus probabilitate meritò dubitatur. Opinio dubiè probabilis nil differt ab opinione tenuiter probabili: quamvis aliqui hanc confundant cum opinione probabiliter probabili, contra quos agit Cardenas *in Crisi Theolog. dissertat. 4.* De cætero sicut efficacia motivorum habet alios & alios gradus, ita & opinio probabilis in ratione probabilis. In supremo gradu constituitur opinio probabilissima, sive probabiliter certa. Hujus motiva tantæ sunt efficacix, ut sententiam ei  
oppo-



oppositam relinquunt solùm probabiliter, vel omninò dubiè probabilem. Sequitur opinio probabilior, quæ nititur motivis efficacioribus: quæ & ipsa possunt esse in majori, vel minori excessu efficaciarum. Quòd si motiva duarum opinionum utrimque sint æqualiter efficacia, opiniones sunt æquè probabiles: si magis & minùs efficacia, una est magis, altera minùs probabilis. Opinio probabiliter probabilis obtinet infimum gradum probabilitatis (nam dubiè, sive tenuiter probabilis vix meretur nomen probabilis) hæc enim ob motivorum, quibus nititur, exilitatem, à pluribus judicari solet improbabilis, licèt aliqui ob motivum non leve sive rationis, sive autoritatis eam censeant esse probabilem. Allatis divisionibus jungi potest divisio opinionis in positivè, & negativè probabilem. Positivè probabilis est, quam *Dicto* r. definivimus. Negativè, vel si mavis, præcisivè probabilis est. quæ non habet motivum suadens assensum, sed abstrahit tam à motivo, quàm ab ejus carentia. Talis est: *Turca dormit.* hæc enim in meo intellectu ita potest apparere, ut neque cogitem, illam habere motivum pro somno Turcæ, neque carentiam motivi. Ut magis declarentur, quæ hæcenus diximus, habe ulterius

X. Notabile I. Possunt duæ contradictoriæ esse simul positivè probabiles etiam eidem intellectui. Patet hoc in omnibus ferè sententiis celebrioribus contradictoriè oppositis, quarum quælibet nititur motivis tam magnis, ut etiam collata cum motivis partis oppositæ sint digna rationabili assensu. Et ideo vir doctus pensatis utrimque talibus motivis sapissimè judicat, utramque sententiam esse probabilem: ergo in ipsius intellectu ambæ contradictoriæ sunt simul probabiles. Inde tamen non sequitur, quod docuit Caramuel, quando una propositio est probabilis, ejus quoque contradictoriam debere esse positivè probabilem.

Nam



Nam propositionem esse positivè probabilem est illam niti fundamento gravi, atqui quòd una nitatur fundamento gravi, non infert, ejus quoque contradictoriam niti fundamento gravi. Sicut enim nulla est connexio inter esse & non esse ejusdem, ita nulla est connexio inter motium suadens, rem esse, quod habet una, & inter motium suadens, rem non esse, quod habet altera contradictoria, ergo sicut non sequitur: *res est, ergo non est*; ita non sequitur: *datur motium suadens, rem esse; ergo etiam datur motium suadens, rem non esse.* Et fanè probabilitatem unius extremi non arguere probabilitatem positivam oppositi, posset ostendi multis exemplis. Sufficiant duo. Sit uxor dubitans de morte mariti, & superveniat testis fide dignus, qui asseveret, ejus maritum occubuisse in prælio v. g. In hoc casu mulier habet fundamentum grave, & opinionem probabilem de morte viri: at non habet fundamentum ullum, nec consequenter opinionem probabilem de vita illius. Rursus. Si dubitet quisppiam, an aliquod peccatum commiserit? eique occurrat ratio gravis, quòd non commiserit, & solùm levissima, seu potius scrupulus, quòd commiserit, talis habet opinionem probabilem, quòd non peccaverit, & non habet opinionem probabilem, quòd peccaverit.

XI. Notabile II. Sententia semel probabilis fieri potest improbabilis. Sic olim erat probabile, absolutionem collatam absentis & validam esse, & quòdque licitam: at modò post declarationem Clementis VIII. ea opinio penitùs evasit improbabilis. Aliæ plures ejusmodi opiniones, ut habet Terill. *q. 5. assert. 9.* quondam probabiles de contractibus, modòque ineundi matrimonium hodie post novas Conciliorum, atque Pontificum declarationes, aut argumenta de novo inventa carent omni probabilitate. Similiter ob motiva magni momenti, quæ antè latebant, à viris doctis detecta potest contingere, ut opinio priùs improba-

U

bilis



bilis reddatur probabilis. Eadem ratione per motiva nova prioribus superaddita sententia minùs probabilis evadit probabilior, & ob unum, vel alterum motivum falsitatis convictum probabilior fit minùs probabilis.

XII. Notabile III. Dantur opiniones speculativè probabiles, quæ sunt practicè improbables. Nam inprimis est speculativè probabile; in materia luxuriæ reperiri parvitatem materiæ, & aspectus quosdam, tactùsque impudicos non continere gravem malitiam: at practicè; quia moraliter est impossibile, tales actiones hîc & nunc exerceri sine proximo periculo libidinosæ delectationis, est improbabile. Deinde (ut plura omitam) est speculativè probabile, Sacramentum Baptismi confici in aqua ex sale resoluta: at non practicè, quia nullum datur rationale motium, quod suadeat, extra casum necessitatis ejusmodi materiam in conficiendo hîc & nunc Baptismo honestè applicari posse.

XIII. Notabile IV. Opinio, quæ per motiva directæ non est probabilis, fit non rarò probabilis indirectè, sive per motiva indirecta. Ostenditur. Titius bona fide possidens prædium v. g. movente litem Cajo dubitat, an illud sit suum vel non? adhibet omnem diligentiam, ut inveniatur rationem probabilem, qua possit jus suum tueri: at nihil occurrit. Cajo quoque nihil pro se probabile adducit. Quis jam dicat, esse directè probabile Titio, quòd prædium sit suum? at nihilominùs id ipsum ex titulo legitimæ possessionis (qui est motivum indirectum) fit ei probabile. Ulteriùs contingit sæpissimè, ut opinio directè probabilis evadat ob motiva reflexa multò probabilior. Sit alicui consideratâ rei naturâ probabile, quòd pingere die festo sit licitum. Multùm crescit hæc probabilitas, si reflectens super eam sibi persuadeat, unicuique esse licitum agere, quod prudenter credit esse licitum, vel si cogitet, legem vetantem pingere die festo non esse sufficienter promulgatam, &c

XIV.



XIV. Notabile V. Dantur opiniones probabiles quoad se, quæ sæpè non sunt probabiles quoad nos. Nam sæpè dantur vera motiva gravia, & ad fundandum prudentem assensum sufficientia, quæ tamen non omni intellectui, prout sunt, innotescunt: sed hoc est opinionem esse probabilem quoad se, & non esse probabilem quoad nos, id est, quoad illos, quos ea motiva latent: ergo dantur opiniones probabiles quoad se, quæ sæpè non sunt probabiles quoad nos. Similiter dantur opiniones quoad se non probabiles; sed solùm probabiles quoad nos. Patet in hæreticis materialibus. Nam isti ob authoritatem, & rationes hæresifaventes, quas solas acceperunt à suis majoribus, prudenter & inculpatè credunt, vera esse tradita sibi dogmata, & consequenter quoad illos sunt probabilia. Cùm tamen reipta sint improbabilissimi errores, quorum motiva collata cum motivis fidei Catholicæ omnem statim veritatis apparentiam amittunt.

XV. Notabile VI. Ut opinio quæppiam fiat alicui probabilis, non sufficit, eam probari argumentis ex se validis, eique insolubilibus, quando aliunde est certus de veritate contradictorij. Ita in Philosophicis argumenta Zenonis, quibûs probat, non dari motum localem, sunt planè difficilia, neque multi ad ea respondere possunt. Nihilominùs nunquam efficient, ut alicui videatur probabile, non dari motum localem: quia illum existere demonstrat concors, & certa experientia sensuum exteriorum. Similiter nemo efficiet, ut vel rusticus si sit verè Catholicus, & in fide probè instructus, credat probabiliter, non dari Purgatorium; licèt afferat rationes difficiles, & rustico insolubiles. quia hic propter magnitudinem motivorum suæ fidei de existentia Purgatorij est certissimus. Neque obest huic certitudini, quòd nequeat solvere argumenta contraria. Potest enim prudenter existimare, ea posse solvi ab alijs, saltem à doctis, quamvis ipse non possit solvere.



*An auctoritas unici Doctoris possit constituere  
sententiam probabilem?*

## SUMMARIUM.

16. *Damnata cujusdam propositionis circa presentem questionem laxitas.*  
 17. *Quinam auctor sit omni exceptione major?* 18. *Nostra sententia statuitur, & probatur primo à priori.* 19. *Secundo ad hominem.* 20. 4. *Corollaria.* 21. 22. *Proponuntur & solvuntur Objectiones.*

XVI. **H**Æc propositio: *si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem*: hæc, inquam, est 27. inter damnatas anno 1665. ab Alexandro VII. & quidem meritò: tum, quia, ut jacet in his terminis, ostium pandit innumeris laxitatibus, & morum corruptelis, ut nemo, qui sapit, non videt. tum, quia imprudentissimum est, moderni Authoris placitum tamdiù censere probabile, etiam reclamantibus cæteris pænè omnibus doctis ac probis, quamdiù non damnatur à sede Apostolica. Alioquin hæresis quoque v. g. Janseniana, eò quòd legeretur in libris Jansenij, fuisset probabilis usque ad suam condemnationem, qua illam Innocentius X. proscripsit. Sed conseq. est falsum; ergo.

XVII. Ante decisionem Quæst. adverto ex Joan. Cardenas, authorem omni exceptione majorem esse illum, contra cujus auctoritatem nulla fieri potest exceptio; sive cui nihil obijci potest, quo ejus auctoritas elevetur, aut minuatur. Porro exceptiones omnes auctoritatem alicujus Doctoris infirmantes ad 4. capita possunt reduci. Primum est certitudo sententiæ illi, quam docet, contradictoriæ, quia quoties una propositio est certò vera saltem moraliter, ejus opposita est certò falsa. Unde frustra



strà contra certitudinem nititur omnis autoritas, ut ejusmodi propositionem constituat probabilem. Secundum est levitas, vel omninò nullitas fundamenti, quo nititur opinio asserta, Nam eatenùs Doctor sua autoritate tribuit extrinsecam probabilitatem sententiæ, quatenùs præsumitur habere grave motivum ad eam tradendam, Atqui dum constat, ejus fundamentum esse leve, vel nullum comparativè ad motiva partis oppositæ; non subsistit illa præsumptio: quia eliditur per notitiam de contrario; ergo. Tertium est fama, sive experientia certa, qua constat, Authorem docuisse improbabilia, tali enim viro non prudenter fidentur: cùm meritiò timere quis possit, ne, dum legit, vel audit illius sententias, incidat in aliquam improbabilem. Unde autoritas, quæ hanc exceptionem patitur, est infirma, & adtribuendam probabilitatem insufficientis. Quartum est ommissio accuratæ diligentia in examinandis rationibus & fundamentis utriusque partis. Et ideò, qui ommissa hac diligentia docent, prout solent meri Summistæ, aut Compilatores, aut alij, qui purè transcribunt à cæteris Authoribus tradita, per se non faciunt opinionem probabilem, cùm enim de suo nihil afferant, & solùm nitantur autoritate aliorum, tota probabilitas non ab ipsis, sed à Doctoribus, è quorum libris suam doctrinam sumunt, in sententias refunditur. His positis.

XVIII. Dico. Unicus Author omni exceptione major potest sua autoritate sententiam reddere practicè probabilem etiam contra communem oppositam. Prob. Primo. Opinio, quam docet unicus Author omni exceptione major, rationabili fundamento nititur. ergo est sententia probabilis. ergo unus Author facit sententiam probabilem. utraque conseq. patet. Ant. prob. talis opinio nititur illo motivo, quo Author est motus, ut eam doceret. sed hoc est motivum rationabile; quia erat dignum, ut ei

U 3

præsta-



præstaret assensum vir doctus, probus, & omni exceptione prius allata major, uti supponitur ergo nititur rationabili motivo. Confirm. Implicat, ut motivum, quo movetur ad docendam opinionem quamppiam Doctor omni exceptione major non sit rationale & magnum tam absolute, quam relative: ergo implicat, ut talis opinio non sit probabilis: conseq. constat. Ant. colligitur ex dictis. quia alias esset, & non esset Doctor omni exceptione major. esset, ut supponitur: non esset: quia pateretur exceptionem secundam ex illis quatuor à nobis adductis.

XIX. Prob. Secundo ad hominem contra Authores sententia rigidæ, de qua inferius. Certum est, sententiam benignam, five eam, quæ asserit, usum opinionis minus probabilis in concursu probabilioris esse licitum, antehac fuisse communem; immò hodièque communem esse, dubitari non potest. Certum est insuper, sententiam rigidam, si benignæ, quam deinde docerimus, sit contradictoria, non esse certam: quia alioquin benigna ne quidem esset probabilis, quod nec Adversarij dixerint. Est igitur sententia rigida solum probabilis. Jam dic mihi, quo jure sit facta probabilis? planè non alio, quàm quòd aliquis eorum Authorum contra communem sententiam insurgere coepit, & vel re ipsa, vel in ipsorum existimatione argumenta invenerit adeò solida, communemque doctrinam convellentia, ut ei meritò novum, quod probant, placitum sit præferendum. Ecce! apud Adversarios unius, vel alterius Doctoris opinio, etiam in re maximè morali (quippe in statuenda generali regula morum) prævalet communi aliorum sententiæ, dum ille horum principia solidè convellit, suumque dogma stabilit validis argumentis. Unde, quod in alijs damnant, suomet exemplo comprobant.

XX. Ex hætenus dictis facile colligitur primo, multitudinem Authorum non omni exceptione majorum nihil facere ad  
conci-



conciliandam probabilitatem opinionibus. Et ideò nec tres, nec quinque, nec octo (nec unam) imò nec viginti, aut plures sufficiunt, ut sua autoritate constituent sententiam extrinsecè probabilem. Collig. Secundo, quid respondendum sit ad hunc syllogismum, qui formatur ex Caramuele *in Theolog. fundam. n. 448. Quidquid asserunt 4. Authores, est probabile: sed quòd unus Author faciat sententiam probabilem, asserunt 4. Authores, ergo quòd unus Author faciat sententiam probabilem, est probabile.* Nam si non modò illi 4. qui hoc asserunt, sed etiam ille unus Author, de quo asserunt, supponantur omni exceptione majores, concedendum est totum, quia nihil contra nos infertur. Si non supponantur esse tales, neganda est major. Collig. tertio, Authorem, qui docuit unam, vel alteram sententiam improbabilem, si constet, quænam illa sit, posse respectu cæterarum sententiarum, quarum nulla (ut supponitur) est improbabilis, constituere probabilitatem, quia tunc cessat ratio exceptionis tertiæ, ipseque manet quoad illas sententias omni exceptione major. Unde dicta exceptio solum valet contra Authorem, qui plures docuit opiniones improbabiles: quia in magno numero non ita facilè haberi possunt notatæ. Vide Joan. de Cardenas *tract. 1. disp. 11. c. 4. n. 122.* Collig. Quarto, quàm meritò damnata sit propositio *in num. 1.* adducta loquitur enim absolutè de quocunque Authore, tametsi non sit omni exceptione major, eumque vult sufficere ad tribuendam opinioni probabilitatem.

XXI. Obijcies primo. Plus velle sapere, quàm omnes alij, temerarium & præsumptuosum est: sed docere sententiam singularem contra communem est plus velle sapere, quàm omnes alij; ergo hoc est temerarium & præsumptuosum. ergo opinio talis Doctoris non est probabilis, sed potius temeraria, & præsumptuosa. Secundo. In rebus moralibus præferri debet novitati antiquitas:

tas:



tas: quia pro authoritate veterum Doctorum sanctitate, & sapientia præstantissimorum stat præsumptio sanioris doctrinæ contra quemcunque Authorem juniorem. Tertio. Facile contingit, ut quis speciosô titulô viri probi & docti alios decipiat. Ergo Doctori singulari contra communem aliorum opinanti nunquam secure feditur.

XXII. Ad I. Respond, inprimis, siquid valeret hoc argumentum, sententiam rigidam fore planè temerariam & præsumptuosam. Nam & ipsa coepta fuit doceri ab uno, vel altero suorum Doctorum adversus benignam communem. Deinde dist. maj. est temerarium & præsumptuosum, si id, quod omnes alij dicunt, sit certum, conc. si incertum & fallibile, neg. maj. &c. In rebus topicis etiam consensus Authorum unanimes potest esse incertus & fabillibilis. Quis ergo vituperet virum magni ingenij, si veritatem acrius investigans illorum errores detegat, validè refuter, suamque sententiam oppositam solidis argumentis stabiliat? Id sanè si præstiterit, efficiet, ut singularis ejus opinio sit digna prudenti assensu, adeoque probabili. Ad II. Respondeo ex Terillo, in rebus maximè ad jus humanum Spectantibus authoritatem recentiorum majorem esse debere, quàm veterum. Illi namque, non isti, sunt conscij jurium de novo conditorum, per quæ status earum rerum sæpissimè variatur. Secus dicendum de rebus, quæ sunt juris naturalis. in his enim, cùm variari non possint, sua antiquis Doctoribus integra manet authoritas. Porro præsumptio sanioris doctrinæ stat tamdiù pro veteribus, quamdiù illam junior Author non evertit. Ad III. Neg. Ant. intellectum de viro, qui est omni exceptione major: quia est impossibile, ut talis, modò segerat talem, in docendo quemquam decipiat. Porro, qui nam, sit Author omni exceptione major, nemo ignorabit, cui exceptiones suprâ explicatæ fuerint perspectæ. Illud tandem  
adver-



adverto, in moralibus rarò admodùm contingere, ut unicus Au-  
thor suam sententiam contra communem aliorum efficiat pro-  
babilem: quia nempe est difficilimum, ut quis omnia præstet, quæ  
ad id requiruntur. Unde singularis ejusmodi opinio citra ma-  
gnam cautelam non est redigenda in praxim.

## ARTICULUS II.

## De usu Sententiæ Probabilis generatim.

## §. I.

An, & quomodo ex opinione probabili formari possit ulti-  
mum dictamen Conscientiæ?

## SUMMARIUM.

1. Status questionis. 2. Statuitur conclusio, & ostenditur modus formandi  
Conscientiam ex probabilibus. 3. An sententia probabilis sit regula  
proxima operandi? 4. Sensus hujus propositi. Qui operatur ex Con-  
scientia probabili, honestè operatur. 5. An possit formari recta Con-  
scientia ex opinione probabiliter, vel solùm tenuiter probabili?  
6. 7. 8. Proponuntur, & solvuntur Objectiones.

**I.** Ultimum, seu practicè practicum dictamen Conscientiæ de-  
bere esse moraliter certum de honestate operationis, quam  
dirigit, docent communissimè Theologi, Ratio est: tum, quia,  
ut jam suprà diximus, est actus elicitus Prudentiæ, cujus assensus  
non possunt esse fallibiles. Cùm alioquin non differret ab habitu  
opinionis. tum quia est participatio legis Divinæ, quæ est certa, &  
infallibiliter recta: immo ab illa derivatur ceu regula exemplata  
à regula exemplari. Atqui exemplatum debet esse conforme ex-  
emplari; ergo. Difficultas est modò, quæ hæc certitudo prove-  
niat Conscientiæ ex opinione probabili? sive quomodo fieri pos-  
sit, ut ex judicio fallibili, quale est omnis sententia probabilis,

X

forme.



formetur certa & recta Conscientia? Et quidem Probabilistæ, id est, Authores, qui docent, licere amplecti sententiam probabilem relicta probabiliori opposita, ceu præcipuum suæ doctrinæ fundamentum statuunt hoc principium: *sententia probabilis fundat prudentem assensum*. quo semel admissio ut certo, statim apparet aliud axioma apud ipsos æquè certum: *qui sequitur sententiam probabilem, prudenter, adeoque licitè operatur*. Sed negant ista Authores rigidi, qui vocantur Probabilioristæ, vel universim; ut Merenda; vel de sententia probabili favente libertati contra præceptum, ut Contenson, & alij. Verùm his non obstantibus, contrarium debet esse certissimum.

II. Dico igitur. Quilibet potest ex opinione verè probabili formare prudens ac certum dictamen Conscientiæ rectæ. Præscindit hæc assertio à concursu opinionis probabilioris, vel æquè probabilis, & prob. in hunc modum. Quisquis habet præmissas certas de honestate operationis, potest ex illis inferre conclusionem certam de honestate operationis, & certò prudentem. Sed sequens opinionem verè probabilem habet ejusmodi præmissas; ergo potest ex illis inferre conclusionem certam de honestate operationis, & certò prudentem. Sed ejusmodi conclusio est judicium prudens ac certum Conscientiæ; ergo vera est nostra assertio. mai. est certa. mi. unaque sub. prob. & simul ostenditur modus formandi Conscientiam ex probabilibus. Pono casum, in quo Pictor v. g. deliberat, an liceat pingere in die festo? hic, si opinionem, quæ dicit, opus pingendi non esse servile, teneat verè ut probabilem, ita secum saltem implicite, & virtualiter discurret. *Omne opus non servile in die festo est licitum: sed pingere est opus non servile; ergo pingere in die festo est licitum*. Major est quidem certa: sed Minor & Conclusio est solum probabilis. Unde hæc nondum est judicium ultimum Conscientiæ practicæ practicæ:

aticum:



dicum: maximè cum non sit de operatione ut hîc & nunc exercenda. Et ideò cum reflexione tam ad probabilitatem opinionis, quàm ad conclusionem ex principiis directis illatam assumens aliud principium reflexum Synteresis ita ulterius ratiocinatur. *Illud opus hîc & nunc est licitum in die festo, quod prudenter judico esse licitum: sed opus pingendi prudenter judico esse licitum in die festo; ergo opus pingendi, seu pingere hîc & nunc est licitum in die festo.* Et hæc demum conclusio est illud, quod quærimus, ultimum dictamen Conscientiæ certum & infallibiliter prudens deductum ex præmissis certis & infallibilibus. Nam Major est nota omnibus, qui penetrant terminos, quid enim licebit in moralibus, si id, quod quis omnibus consideratis prudenter judicat esse licitum, non liceat? Minor est pariter certa: quia est cognitio experimentalis de cognitionibus directis in priori discursu elicitis, & de magnitudine motivi probabilis, quo movetur, ut judicet, pingere non esse opus servile. Atque ex toto hoc discursu manifestè

III. Colligitur primo, probabilitatem, sive sententiam probabilem à nobis non statui pro regula proxima & immediata honestæ operationis, ut quidam Probabilioristæ malè supponunt; sed esse solùm principium remotum, & quoddam occasionale primordium ad inchoandam consultationem practicam, formandamque rectam Conscientiam præsuppositum. Neque enim fas est in operando sequi sententiam probabilem, nisi formidinem practicam de inhonestate operationis deposueris. Hoc autem nunquam præstabis, nisi modò explicatò ad formandam Conscientiam procedas; sed ipsam mox opinionem probabilem citra ulterius examen tibi regulam operandi constituas. cum temere & imprudenter in periculum peccandi irruens agas mala fide, & aliunde per invincibilem ignorantiam non excuseris.



IV. Colligitur Secundo ad evitandas plures æquivocationes, hanc prop. *Qui operatur ex Conscientia probabilis, honestè operatur*, esse in uno sensu veram, in altero falsam. Falsa est, si loquatur de Conscientia ut formaliter, & intrinsecè probabilis, sive sumpta pro assensu secundùm essentialem rationem suam fallibili, ac formidoloso. Ratio ex dictis est: quia Conscientia, ut sit regula honestæ operationis, debet esse certa & prudens. Vera est illa prop. si intelligat Conscientiam probabilem, sive opinativam solùm extrinsecè, præsuppositivè, & originativè, id est, illam, quæ oritur ex opinione probabilis, licet in se, & intrinsecè sit certa, & infallibiliter prudens citra omnem ex sua parte formidinem de opposito. Ratio est: quia Conscientia hoc sensu probabilis habet omnia, quæ requiruntur, ut sit regula honestæ operationis. Neque obstat formido relicta à judicio intrinsecè probabilis præsupposito. tum, quia non est practica, sed solùm speculativa. tum, quia ultimo dictamini Conscientiæ est merè extrinseca.

V. Colligitur Tertio, non posse formari rectum dictamen Conscientiæ ex opinione solùm probabiliter probabilis. Docent ita plerique Theologi. Ratio est: tum, quia, ut vidimus, ad rectam & certam Conscientiam formandam ex opinione probabilis debet præsupponi judicium certum & experimentale de probabilitate illius. Atqui tale judicium non præsupponitur, quando opinio est solùm probabiliter probabilis, eo ipso, quod sit incertum, an habeat motiva digna assensu. tum quia probabilitas tam latè accepta vix differt à laxitate tam Conscientiarum, quam opinionum, in quam meritò hætenùs infurrexerunt Authores non modò rigidi, sed etiam benigni, & summi Pontifices sua decreta vibrârunt. Quod dictum est de sententia probabiliter probabilis, verum est à fortiori de sententia solùm tenuiter, seu dubiè probabilis. Patet igitur, non omnem probabilitatem etiam in infimo gradu



gradu sufficere, ut possit ex ea formari recta & certa Conscientia. Propositionem id asserentem damnavit Innocent. XI. in decreto, quod edidit anno 1679. n. 3. Nunc contra concl. nostram ita

VI. Objicies I. Qui se exponit periculo peccandi, peccat: sed qui operatur ex Conscientia probabili, exponit se periculo peccandi; quia exercet actionem, de qua non est certus, an sit licita, vel illicita, ergo qui operatur ex Conscientia probabili peccat. & consequenter ex opinione probabili non potest formari dictamen rectæ Conscientiæ. Respond. primo dist. mai. qui se exponit periculo peccandi formaliter, ille peccat, conc. periculo peccandi materialiter, neg. mai. &c. Atqui operans ex Conscientia probabili se solum exponit periculo peccandi materialiter, quatenus fieri potest, ut objectum, quod inculpatè, & prudenter apparet licitum, sit re ipsa illicitum: veluti contingit, quando quis operatur ex Conscientia invincibiliter erronea. Respond. Secundo conc. mai. neg. mi. cum sua probatione. Potes hanc etiam distinguere: non est certus ex parte judicij directi, & remoti, an operatio sit licita, vel illicita, conc. ex parte judicij reflexi & proximi, neg. Judicium remotum & directum illud hîc dicitur, quo intellectus apprehensa magnitudine motivorum probabilium cum formidine oppositi judicat, operationem esse licitam: veluti judicat pictor in primo syllogismo suprâ formato. Judicium reflexum est, quo intellectus suprâ judicium prius reflectens judicat experimentaliter, illud esse verè probabile, & prudens. & ita judicat pictor in *minori* posterioris syllogismi. Hoc judicium est certum, & citra omnem formidinem de opposito infallibile. Esto proinde, judicium directum, & remotum (quod etiam speculativum vocatur) non sit certum; certum tamen est judicium reflexum ac proximum. Atque ex his utique vides, quomodo ex opinione probabili possit deduci certa Conscientia. Respond. ad-



huc tertio ex dictis *in num. 4.* omiſſa mai. diſt. mi. operans ex Conſcientia formaliter, & intrinſecè probabili exponit ſe periculo peccandi, conc. operans ex Conſcientia probabili ſolùm extrinſecè præſuppoſitivè, & originativè, neg. mi. &c. ex quo etiam ad probat. mi. patet ſolutio.

VII. Obijcies ſecundo. Quando una ex præmiſſis eſt incerta, etiam conclusio, quæ inferitur, eſt incerta; quia ſequitur debiliorem partem. Sed in diſcurſu practico, per quem formatur Conſcientia tanquam conclusio ex opinione probabili, una ex præmiſſis eſt incerta, nempe ipſa opinio probabilis; ergo etiam conclusio, quæ eſt Conſcientia, eſt incerta. Reſpond. diſt. mai. quando una ex præmiſſis proximis, ſive influentibus proximè in conclusionem eſt incerta, etiam conclusio eſt incerta, conc. ſi una ex præmiſſis ſolùm remotis, ſive remotè influentibus eſt incerta, etiam conclusio eſt incerta, neg. mai. Atqui in illo diſcurſu practico ſolùm una ex præmiſſis remotis, ipſa videlicet opinio probabilis, eſt incerta. nam proximæ, ut vidimus, ſunt certæ, & infallibiles. Effectus autem non debet ſapere naturam cauſæ remotæ, ſed proximæ. Et ideò conclusio ſolùm ſequitur debiliorem partem, quando hæc eſt inter cauſas illius proximæ.

VIII. Obijcies Tertio. Qui operatur cum formidine de honeſtate operationis, is non habet certum dictamen Conſcientiæ: ſed operans ex Conſcientia probabili operatur cum tali formidine. quia omnis opinio, & ſententia probabilis eſt eſſentialiter aſſenſus formidoloſus circa ſuum objectum; ergo operans ex Conſcientia probabili non habet certum dictamen Conſcientiæ. Si dicas, illam formidinem eſſe ſolùm Speculativam ex parte iudicij remoti, non autem practicam de operatione ut hæc & nunc exercenda: hanc enim certò iudicari licitam. Contra eſt: implicat, iudicium practicum diſcordare a ſpeculativo: ergo implicat, quemquam formidare ſpeculativè in iudicio ſpeculativo, & non formi-



formidare practicè in iudicio practico conseq. patet. Ant. prob. nam  
 eo ipso, quod quis opinativè, & cum formidine oppositi affirmet,  
 esse licitum pingere die festo, etiam virtualiter cum simili formi-  
 dine affirmat, id esse licitum Petro, Paulo, & sibi. Quia in  
 iudicio universali continetur particulare tanquam propositio sub-  
 alternata. Ergo implicat, ut in eodem instanti sine formidine  
 iudicet, sibi esse licitum hinc & nunc pingere in die festo. Ergo  
 implicat iudicium practicum discordare à speculativo. Hæc con-  
 seq. colligitur ex priori; quæ facillè prob. quia in eodem intellectu  
 non possunt simul stare duo iudicia, unum certum, alterum in-  
 certum de eodem objecto. Atqui, si dicto modo iudicaret, sta-  
 rent simul talia iudicia; ergo. Respond. Solutionem insinua-  
 tam esse optimam. Unde illâ utens dist. mai. qui operatur cum  
 formidine practica de honestate operationis, non habet certum  
 dictamen Conscientiæ, conc. qui operatur cum formidine solùm  
 speculativa, neg. mai. dist. mi. talis operatur cum formidine spe-  
 culativa de honestate operationis, conc. cum formidine practi-  
 ca, neg. mi. & conseq. Probatio *Minoris* est quidem vera, sed  
 non ad rem. quia Conscientia probabilis, quæ immediatè dirigit  
 operationem, non est opinio, sed iudicium, & dictamen certum  
 ex opinione probabili, velut ostendimus, deductum. Ad im-  
 pugnationem solutionis dist. Ant. si non accedat specialis & nova  
 ratio variandi iudicium speculativum; conc. si accedat & super-  
 veniat talis ratio, neg. Ant. & sic respond. ad conseq. Ad probat.  
 Ant. dico; Ant. esse verissimum, quod non est mirum: quia illud  
 iudicium nititur solùm motivis directis, quæ non suadent, esse ali-  
 ter, & firmitus iudicandum de actione pingendi à Petro v. g. exer-  
 cenda, quàm de omnibus. quia tamen accedunt motiva reflexa,  
 & nova ratio certò suadens, hanc numerò actionem pingendi à  
 Petro exercendam in die festo non contineri sub illa ratione spe-  
 cifica,



cifica, quæ solùm cum formidine iudicata est licita, fit, ut intellectus eliciat aliud iudicium particulare certum ab illo universali discordans, ac sine formidine affirmans, pingere hîc & nunc Petro esse licitum. Hoc autem iudicium particulare non continetur sub illo universali, eo ipso, quod objectum iudicij particularis propter specialem rationem & aliam circumstantiam non continetur sub objecto iudicij universalis. Unde neg. utraque conseq. Ad probat. primæ constat ex dictis, illa duo iudicia non esse de eodem formaliter objecto. Vide, quæ dixi in simili c. *præced. a. 1. §. 1. n. 5.* de dubio speculativo.

## §. II.

*An liceat sequi in praxi sententiam minùs probabilem, minùsque tutam relictâ probabiliori & tutiori?*

## SUMMARIUM.

9. *Quenam sententia sit tutior, & quæ minùs tuta?* 10. *Intellectus assenti-ri potest opinioni minùs probabili in occurssu probabilioris.* 11. 12. *Solvitur objectio.* 13. *Opinionum alia sunt circa actiones & ius, alia circa res & factum. Quodnam inter eas discrimen?* 14. *Statuitur, esse licitum sequi in praxi sententiam minùs probabilem relictâ probabiliori. Authorum de hac doctrina iudicium.* 15. 16. 17. *Fundamenta nostræ sententiæ ex ratione.* 18. *Quando agitur de honestate actionis, licitè amplectimur partem minùs tutam relictâ tutiori.* 19. *Quod non licet, quando opiniones opposita versantur circa rem & factum, & adest speciale præceptum charitatis, iustitiæ &c.* 20. 21. 22. *Solvuntur objectiones.* 23. *In quonam sensu omnes sententiæ probabiles sint equaliter tuta? item: an praxis benigna sententiæ habeat locum in articulo mortis?* 24. *Quenam sententiæ sit certò probabilis?* 25. 26. *An usus sententiæ probabilis sit licitus in materia fidei?*



IX. **N**otandum est primo, in contradictoriis moralibus unam partem esse tutiorem; alteram minus tutam. Pars tutior est, in qua nullum apparet periculum peccati tam materialis, quàm formalis. Sic non pingere in die festo est pars tutior: quia in omissione hujus actionis nulla datur ratio formidandi, ne sit contraria alicui præcepto. Pars contra minus tuta est, in qua apparet aliquod periculum peccati, non quidem formalis, sed materialis. Ita pingere in die festo est pars minus tuta: quia datur in hoc exercitio, si tali die suscipiatur, ratio formidandi, ne lege Divina sit vetitum; eò quòd possit timeri, ne sit opus servile. Itaque sententia, sive opinio tutior est, quæ affirmat partem tutiorem: minus tuta, quæ partem minus tutam affirmat esse licitam, Verbò: omnis opinio, quæ stat pro lege contra libertatem, solet vocari tutior: & omnis, quæ stat pro favore libertatis contra legem, dicitur minus tuta, quamvis sit tuta simpliciter, eò quòd careat omni periculo inhonestatis formalis. Porrò inhonestas, sive malitia formalis est illa, quæ constituit actum, ut est ab operante, rectæ rationi difformem. Inhonestas materialis est, quæ constituit actum, ut est in se, & secundum se, difformem legi. Actus priori modo inhonestus imputatur in culpam; non autem posteriori: veluti patet in eo, qui adorat hostiam non consecratam, quam ob ignorantiam invincibilem judicat esse consecratam.

X. Notandum secundo, intellectum in concursu duarum opinionum, quarum una est minus, altera magis probabilis, posse assentiri minus probabili, illâ, quæ hîc & nunc apparet probabilior, relictâ. Ratio est: quia sententia probabilior suis motivis non elidit motiva sententiæ minus probabilis; sed ea relinquit in sua efficacia: & quia non est evidens, intellectus manet à voluntate liberè determinabilis tam quoad exercitium, ita ut possit as-

Y

sentiri,



sentiri, vel non assentiri motivis sententiæ probabilioris, quàm quoad speciem, ita ut possit ex ejus imperio assentiri, vel dissentiri tam motivis sententiæ probabilioris, quàm motivis sententiæ minus probabilis. Huc adde, quòd præsens controversia tam celeberrimè frustra omninò tractaretur, si intellectus in conspectu sententiæ probabilioris non posset adhærere minus probabili: disputanti enim, an intellectus id possit prudenter ac licitè, veluti hic disputamus, probandum esset, quòd possit absolutè, ac physicè, quia aliàs tota quæstio esset de subjecto non supponente. Sed consequens est falsum; ergo.

XI. In hanc doctrinam acriter insurgit P. Thyrsus Gonzalez *dissert. 3. c. 2.* hoc ferè argumento. Implicat, ut intellectus ex duobus contradictoriis judicet esse falsum illud extremum, quod manifestè videt esse verisimilius opposito; illud verò judicet, esse verum, quod manifestè videt, esse minus verisimile. Sed intellectus ita judicaret, si assentiretur sententiæ minus probabili in conspectu probabilioris; ergo. mi. constat, quia assensum præstare alicui extremo contradictionis est illud censere verum, & oppositum censere falsum: ut patet ex terminis. mai. prob. nemo in se experitur hunc actum: *Ego credo hoc, sed video contrarium esse probabilius, & verisimilius.* Deinde. Implicat, ut is, qui judicat, colorem A esse similiorem albo, quàm nigro, judicet, colorem A esse nigrum, ergo pariter implicat, ut is, qui judicat, extremum A esse verum similius, quàm falso, judicet, extremum A esse falsum.

XII. Respond. dist. mai. implicat, ut intellectus judicet, extremum esse certò, & absolutè falsum, quod manifestè videt esse verisimilius opposito, conc. ut judicet esse falsum apparenter, & probativè, quantum videlicet est ex vi motivi suadentis oppositum, neg. Similiter: implicat, ut illud judicet esse certò, & absolutè verum, quod manifestè videt esse minus verisimile, conc.

ut ju-



ut judicet esse verum apparenter, & probativè, quantum est ex vi motivi suadentis esse verum, neg. mai. & eadem distinctione applicata minori neg. conseq. Probationem min. pariter dist. assensum præstare alicui extremo contradictionis est illud censere verum, & oppositum censere falsum vel absolute & certò, vel apparenter & probativè, conc. semper absolute & certò, neg. Nulla probabilitas est veritas, sed fallibilis apparentia veritatis. Hinc nullus assensus probabilis judicat, suum objectum esse verum absolute, & in esse rei, sed cum aliqua restrictione, & in esse apparentis, sive secundum quod habet apparentiam veritatis, eo ipso, quòd sit judicium essentialiter includens formidinem de opposito. Cum itaque probabilitas minor non impediatur à probabilitate majori sententiæ probabilioris oppositæ, quominus sententiam minùs probabilem faciat apparere veram, & consequenter probabiliorem falsam, intellectus sæpissimè judicare potest, sententiam minùs probabilem esse veram, & probabiliorem oppositam esse falsam. Hoc autem vel ideò videri non debet paradoxum; quòd multa falsa sint probabiliora veris. Quapropter intellectus ob motiva sententiæ minùs probabilis existimare potest, hoc determinatum objectum sententiæ probabilioris fortè etiam contineri in classe probabiliorum, quæ falsa sunt. Ad probat. mai. dico, nos sæpissimè experiri hunc actum: *Ego credo hoc tanquam probabile, & verisimile, sed video contrarium esse probabilius & verisimilius.* In hoc sensu etiam actum in probatione adductum experimur. Ad exemplum de nigro & albo neg. conseq. nam judicans colorem A esse similiorem albo, quam nigro, non est incertus de albedine coloris A; quia nititur experentiã oculorum. Atqui judicans extremum A esse vero similius, quam falso, est incertus de veritate extremi A; quia motiva, quibus nititur ejus judicium, sunt merè fallibilia, & potest tam esse falsum.



extremum A, quàm ejus oppositum. Hinc nulla dantur motiva, quæ suadeant, colorem A esse nigrum, quando apparet similior albo: at dantur motiva suadentia, extremum A esse falsum, quando apparet similius vero.

XIII. Notandum est tertio, opinionum oppositarum alias versari circa actiones, & jus; alias circa res & factum. Priores sunt illæ, quæ probabiliter disputant, an aliqua actio sit præcepta, vel prohibita; licita, vel illicita? Tales sunt: *licet pingere die festo: non licet pingere die festo.* Posteriores differunt, quomodo in se ipso, & à parte rei aliquid se habeat? puta, an actio à parte rei sit valida, vel non? an posito tali opere sequatur tale damnum, vel non? v. g. si Medicus in utramque partem probabiliter enuntiet: *hæc medicina est profutura patienti: hæc medicina non est profutura patienti.* Vel judex: *hic accusatus est nocens: hic accusatus non est nocens.* Cæterùm inter objecta dictarum opinionum plurimum versatur discriminis. Nam actionem esse licitam, & formaliter honestam non tam provenit ab eo, quod est ex se in statu reali, quàm ab eo, quod apparet inculpabiliter judicanti, sive à statu, quem habet in judicio operantis. Hinc licita est absolutio impertita confitenti, quem Confessarius bona fide, & inculpabiliter judicat esse contritum, licet re ipsa non sit contritus. At econtra valor Sacramenti, magnitudo periculi, & veritas damni ad aliquam actionem secuturi non est metienda ex judicio operantis sic vel aliter existimante, sed desumenda est à statu reali, & ab eo, quòd ita se habeat à parte rei. Et ideò Confessarius, tametsi existimet inculpabiliter, pœnitentem esse satis dispositum, ac dignum absolutione, nullum conficit Sacramentum, quando à parte rei non est dispositus; eò quòd valor Sacramenti non ab existimatione ministri, sed ab institutione Christi dependeat. His positis,

XIV.



XIV. Dico jam primo. Licitum est in praxi sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori. Si pro veritate hujus doctrine certare luberet autoritate, operosum non esset integrum ferè Doctorum exercitum in aciem educere. Neque est dubium, nostram sententiam isthoc pugnandi genere commissam cum ad-versa esse hac longè superiorem. Placet audire quorundam de illa judicia. Bartholomæus de Ledesma apud Richardum Archidekin *parte 3. tract. 1.* pronuntiat, esse verissimam, & probari ex usu universali omnium. Stephanus Spinola, esse Recentiorum omnium calculò, & universali pænè populorum usu confirmatam. Pasqualigus Theatinus, esse certissimam, & in materia morali posse demonstrari. Terillus *in tract. de Consc. prob. q. 22.* pro hac sententia refert Authores, qui hoc sæculo floruerunt, omninò centum & quinquaginta. Scripsit autem Terillus memoratum opus Leodij, anno 1668. Regrediens verò usque ad seculum decimum tertium & ultra patronos sistit ferè innumeros, ostenditque *q. cit. à. n. 210. benignam sententiam* (quæ est hæc nostra) *inspecta auctoritate non solum esse multò probabiliorẽ oppositã, sed simpliciter loquendò esse humano modo moraliter certam.*

XV. Nunc conclusionem tanta autoritate, Doctorumque consensu vallatam Probo primo ratione fundamentali. Nullus, qui operatur prudenter, peccat: sed omnis, qui sequitur sententiam minùs probabilem, operatur prudenter; ergo nullus, qui sequitur sententiam minùs probabilem, peccat. ergo licitum est in praxi sequi sententiam minùs probabilem. Totus discursus est evidens. mai. est nota ex terminis, est enim contradictio aperta, operationem prudenter elicitam esse peccatum. min. similiter constat, & magis declaratur in hunc modum. Omnis, qui sequitur sententiam verè probabilem, operatur prudenter: sed omnis, qui sequitur sententiam minùs probabilem, sequitur sententiam verè



probabilem; ergo omnis, qui sequitur sententiam minùs probabilem, operatur prudenter. mai. constat ex supra dictis. quia omnis sententia verè & certò probabilis fundat prudentem assensum, & certum dictamen Conscientiæ. mi. prob. motiva sententiæ probabilioris non evertunt motiva, quibùs nititur sententia minùs probabilis, sed illa relinquunt in sua efficacia, & vi movendi. quia aliàs omnis sententia minùs probabilis in concursu probabilioris fieret improbabilis, quod est falsum, & contra suppositum præsentis controversiæ. cur enim quærimus, an liceat sequi sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, si facta hac hypothesi sententia minùs probabilis ne quidem sit probabilis? ergo certum est, sententiam minùs probabilem esse verè probabilem, idque non tantùm absolutè, sed etiam comparativè ad motiva probabilioris. ergo à primò ad ultimum omnis, qui sequitur sententiam minùs probabilem, sequitur sententiam verè probabilem. Atque hæc conclusio, ejùsque probatio à fortiori est etiam intelligenda de sententia æqualiter probabili.

XVI. Probo Secundo. Certum est ex supra dictis, invincibilem ignorantiam in omni materia excusare à peccato. Ergo, qui operatur ex ignorantia invincibili malitiæ vel inhonestatis, non peccat. Atqui operans ex opinione probabili relicta probabiliori operatur ex ignorantia invincibili malitiæ & inhonestatis; ergo non peccat. ergo licitè operatur. *minor* subl. prob. Omnis probabilitas minor, quòd objectum sit licitum, etiam in conspectu probabilitatis majoris pro parte contraria connectitur cum invincibili ignorantia inhonestatis: ergo qui operatur ex opinione minùs probabili, operatur ex ignorantia invincibili inhonestatis. conseq. patet. Ant. prob. Disputent Theologi & Canonistæ de materia morali quacunque, v. g. an certa species contractùs sit licita, necne? ita tamen, ut post diuturnam disputationem & accuratè



accuratum studium semper maneat probabile, contractum non esse prohibitum. In hoc casu honestas vel inhonestas objecti invincibiliter ignoratur. Ostendo. Illud ignoratur invincibiliter, quod post studium multorum annorum, & diligentissimam veritatis inquisitionem intellectum humanum etiamnum latet: sed honestas, vel inhonestas talis objecti post hæc omnia ita latet humanum intellectum; ergo ignoratur invincibiliter. ergo verum est Ant. quod fuerat probandum. Quod si loquamur de materia morali apud doctos non discussa, cognitu ramen difficili, dico eodem modo, eum, qui diligenter inquisita veritate deprehendit probabilitatem de honestate illius objecti, versari in ignorantia invincibili inhonestatis. Ratio est: ille ignorat quid invincibiliter, cui post adhibitam omnem diligentiam, quam adhibere tenebatur, veritas non innotuit: sed tali homini post adhibitam omnem diligentiam, quam adhibere tenebatur, veritas inhonestatis non innotuit; ergo eam ignorat invincibiliter. At fortè non adhibuit omnem diligentiam, quam tenebatur adhibere: quia tenebatur non esse contentus mera probabilitate; sed ulterius investigare, ut veniret ad certitudinem. Verùm istud exigere ab homine est exigere quid moraliter impossibile. quia est moraliter impossibile, ut de similibus objectis inveniatur certitudo. Quod si hoc aliquando contingeret propter diligentiam extraordinariam investigantis veritatem, id esset rarissimum. At de rarissimè contingentibus, quorum moralis possibilitas non præsumitur, imponere obligationem planè est plus quàm durum & rigidum.

XVII. Probo tertio. Lex non sufficienter promulgata non obligat: sed ubi datur opinio verè probabilis pro libertate contra legem, cui favet opinio probabilior, talis lex non est sufficienter promulgata; ergo non obligat: & consequenter licitum est amplecti sententiam minùs probabilem, quæ favet libertati. mai. est omnium. mi. prob. Nulla lex est sufficienter pro



ter promulgata, cujus existentia & obligatio est incerta: sed ubi datur opinio verè probabilis contra legem, existentia legis, ejusque obligatio est incerta; ergo ubi datur opinio verè probabilis contra legem, lex non est sufficienter promulgata, mai. constat. nam ut lex censeatur sufficienter promulgata, ejus existentia & obligatio ita liquidò subditis debet innotescere, ut magnam eorum partem latere non possit, nisi inculpabiliter ignorare velint. mi. prob. quia est impossibile, stare certitudinem de lege cum probabilitate de non existentia, & non obligatione legis. Nam ex duabus contradictoriis, dum una est certa, non potest opposita esse probabilis; sed debet esse certò falsa, ut suprà advertimus. Ergo hoc ipso, quòd opinio favens libertati contra legem sit verè probabilis, ut supponitur, existentia, & obligatio legis, cui favet sententia probabilior, est incerta. Nunc

XVIII. Dico Secundo. In quæstione versante circa honestatem actionis licitum est sequi sententiam verè probabilem, vel probabiliorem, quantumvis sit minùs tuta. Ita DD. benigni. Ratio est primo ex dictis: licitum est sequi omnem opinionem verè probabilem: sed opinio, tametsi minùs tuta, est verè probabilis ex hypothesi; ergo licitum est illam sequi. Ratio est Secundo. Obligatio sequendi sententiam tutiorem, relictâ minùs tutâ, verè tamen probabili, aut probabiliori, vel proveniret à periculo peccati; vel à præcepto, quòd in dubiis tutior pars sit eligenda: sed nihil horum est verum. Non primum: quia illud periculum est solùm de peccato materiali, quod nemo tenetur semper, immò nec potest evitare: veluti patet in omnibus, qui operantur ex Conscientia invincibiliter erronea. Non Secundum: quia illa regula non habet vim præcepti, præterquàm in casibus, quos dedimus suprà *de Consc. dubia* a. 2. §. 3. Atqui nullus ex illis casibus habet hîc locum; prout patebit ibi dicta meditati; ergo. Adde, quòd operans



operans ex sententia probabili non operetur cum dubio, sed cum determinato iudicio, objectum, quod amplectitur, esse licitum.

XIX. Dico Tertio. Quando opiniones oppositæ versantur circa factum & valorem rei, ubi adest Speciale præceptum charitatis, iustitiæ, vel religionis prohibens actionem conjunctam cum probabili damno temporali vel Spirituali proximi, vel nullitate Sacramenti, tenemur sequi sententiam tutiorem. Ita communiter Authores tam benigni, quam severi. Ratio est: quia sententia minus tuta in his casibus non est practicè probabilis. ergo tenemur sequi tutiorem. consequ. patet. Ant. prob. sententia practicè probabilis est, ex qua potest formari certa Conscientia de honestate, & deponi practica formido de inhonestate operationis: sed hîc sententia minus tuta non est talis; ergo. mai. est certa. mi. prob. formalis inhonestas, & practica formido in his casibus oriuntur ex proximo periculo damni inferendi tertio, vel invaliditatis Sacramenti &c. ergo quamdiu operans non est certus, ne ex sua actione sequatur tale damnum, vel invaliditas Sacramenti, tamdiu non potest formare certam Conscientiam de honestate illius. Atqui operans ex sententia minus tuta non potest esse certus. quia eventus realis damni, sive realis invaliditatis non depende ab ipsius iudicio sive directo, reflexo; sed à positione, vel non positione causarum & requisitorum à parte rei. Confirm. Lex charitatis, iustitiæ, & religionis est certa, & in certa possessione obligationis; dubium verò, an tu sequendo partem solum minus tutam ejusmodi obligationi satisfacias. Ergo conditio legis est melior, quam tuæ libertatis. ergo non habes sufficientem rationem deponendi practicam formidinem, quamdiu partem tutiorem non sequeris.

XX. Obijcies primo. Hæc propositio: qui sequitur sententiam minus probabilem in concursu probabilioris, non peccat: non est

Z

est



est moraliter certa. Ergo non licet sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori. conseq. constat. quia licet sequens aliquam sententiam debet esse moraliter certus de honestate suæ actionis. Ant prob. istæ propositiones: *quisquis agit prudenter, non peccat: qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, agit prudenter*: istæ, inquam, non sunt ambæ moraliter certæ. Ergo nec illa ceu conclusio ex his illata. Patet conseq. quia conclusio, quæ est effectus præmissarum, non potest his esse perfectior. Ant. prob. ista: *qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, non agit prudenter*, est probabilis. Ergo illa secunda præmissa non est moraliter certa. conseq. est nostra ex dictis in Art præc. nam sicut ibi docuimus, probabilitatem alicujus sententiæ non posse stare cū certitudine morali contradictoriæ, ita vicissim tenemur dicere, ejus certitudinem non posse stare cum probabilitate extremi oppositi. Ant. autem videtur certum. Quis enim neget, propositionem, quam docent omnes Authores rigidi, qui sunt viri doctissimi atque gravissimi, esse probabilem? Respondeo negando Antecedentem ad prob. neg. rursus Ant. quod dum prob. dist. Antecedens. est probabilis in eo sensu, quo docetur à suis Authoribus, omitto, in sensu prædictæ *Minori* prout à nobis assertæ contradictorio, neg. Ant. & dist. conseq. ergo illa *Minor* non est moraliter certa in sensu, quo à contrarijs Authoribus negatur, conc. in sensu, quo à nobis affirmatur, neg. conseq. Authores. rigidi, quotquot benignam sententiam impugnant, id revera non præstant in sensu, quo defenditur, sicut advertunt Terillus *in Opere de Reg. morum parte 1. pag. 54. n. 198. & Illung. tract. 1. disp. 1. a. 6. §. 9.* Dum enim dicunt, eum, qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, non agere prudenter, vel non conveniunt nobiscum in definitione sententiæ probabilis; vel loquuntur de sententia probabili in quocunque gradu probabilitatis; vel de minùs probabili sumpta



sumpta solum cum motivis directis; vel supponunt, sententiam minus probabilem in concursu probabilioris solum manere negativè, aut absolutè, non verò positivè, & comparativè probabilem; vel putant, ipsam per se sententiam minus probabilem, & iudicium intrinsecè & formaliter formidolosum à nobis statui pro immediato principio certæ Conscientiæ, aut regula proxima operandi: quæ omnia patebunt eos Authores attentè legenti. Quis autem non videat, aliud hoc modo impugnari, aliud à nobis defendi, & argumenta, quæ in nos collineant, ferri extra metam? Itaque hæc negativa: *qui sequitur sententiam minus probabilem in concursu probabilioris, non agit prudenter*, sumpta in sensu illorum Authorum non solum est probabilis, sed certissima. At nego, eam affirmativæ, prout à nobis defenditur, esse contradictoriam.

XXI. Objicies Secundo. Argumentum à priori, cui maxime fidet benigna sententia, procedit à particulari ad universale; ergo est fallax, & Sophisticum. Ant prob. nam inde inferimus, omnibus esse licitum sequi sententiam minus probabilem, quia eius motiva visa sunt aliis magna & gravia etiam relatè ad motiva sententiæ probabilioris: sed hoc est arguere à particulari ad universale, quia est inferre, motiva sententiæ minus probabilis esse magna & gravia in intellectu omnium; quia talia apparuerunt in intellectu aliquorum, nempe Authorum, qui eam sententiam docuerunt. Respond. neg. Ant. ad probat. dico imprimis, *majorem* non esse veram absolutè. quia probabilitas minor non est solum authentica, sive extrinseca, sed insuper intrinseca, propter motiva ab autoritate docentium independentia, quæ possunt occurrere intellectui cum tanta efficacia, & vi impellendi ad assensum, ut etiam in conspectu motivorum sententiæ probabilioris merito videantur magni momenti, & digna assensu. Deinde

Z 2

negan-



neganda est etiam *Minor*. Probationem dist est inferre &c. quia talia apparuerunt in intellectu aliquorum, & quia hæc apparentia simul apprehenditur ut motivum sufficiens, ob quod motiva sententiæ minùs probabilis possint apparere magna in intellectu omnium, conc. quia præcisè apparuerunt, neg. Hoc autem non est argumentari à particulari ad universale, sed dicere, iudicium aliquorum præstantium Authorum de magnitudine motivorum sententiæ minùs probabilis etiam in comparatione motivorum sententiæ probabilioris esse sufficiens fundamentum, ut omnes alij similiter prudenter judicare possint, ea motiva esse magni momenti. Secùs eodem jure culpabo Adversarios. Quid enim dicerent ad similem discursum? Ideò arguitur, omnibus esse illicitum, sequi sententiam minùs probabilem, quia ejus motiva sunt visa aliquibus (certè non omnibus) levia. atque exigui momenti relatè ad motiva sententiæ probabilioris. Sed hoc est arguere à particulari ad universale. quia est inferre, motiva sententiæ minùs probabilis esse levia in intellectu omnium; quia sic apparuerunt in intellectu aliquorum. Sicut proinde non est Sophisticum dicere: *Aliqui homines viderunt Petrum existentem in templo, & illi omnes Petrum bene noverunt: ergo omnes homines, qui hoc sciunt, habent sufficiens motivum judicandi, Petrum extitisse in templo.* ita non arguit fallaciter dicens: *Aliqui homines docti & probi judicârunt, motiva hujus sententiæ esse gravia & fortia etiam comparata cum motivis sententiæ contraria, & illi homines nec solent in cognoscendo, nec in loquendo fallere, vel falli. Ergo omnes homines, qui hoc sciunt, habent sufficiens fundamentum prudenter id ipsum judicandi.* Sed ita nos argumentamur; ergo &c.

XXII. Obijcies tertio, Quidam Philippus Concellarius Parisiensis æternùm damnatus est, eò quòd fuerit secutus sententiam minùs probabilem, minùsque tutam relictam



relicta probabiliori ac tutiori. Ergo sententia benigna illicita & damnabilis est. Antecedens continet tragica historia Thomæ Cantipratani *lib. 1. de apib. c. 19.* ubi scribens de illo Cancellario sic habet: \* agoniz autem in morte Guilielmus Parisiensis Episcopus paterna sollicitudine visitavit, rogavitque eum, ut opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua excepto uno in manus Ecclesiæ resignaret. Renuit ille, experiri se velle dicens, utrum esset damnabile, beneficia plura tenere. Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies cum dictus Parisiensis Episcopus finitis matutinis orare vellet, vidit inter se, & lumen quasi umbram hominis terram nimis. Elevata ergo manu consignat se, & si ex parte DEI sit, præcipit, ut loquatur. Cui respondit apparens. Alienus à DEO sum, sed tamen miserabilis factura ejus. Et Præsul: tu quis es? cui ille respondit. Ego sum Cancellarius ille dudum miserrimus. Rursus Episcopus elato altius gemitu: & quomodo, inquit, tibi est sic dolenti? Malè, ait, imò quàm pessimè, quia damnatus sum æterna morte. Et Episcopus: heu, ait, charissime, quæ causa tuæ damnationis? Tres sunt, inquit: prima est, quòd recrecentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi. Secunda est, quòd contra sententiam plurimorū de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, & illa gravissima omnium, quòd abominabili carnis vitio in scandalum multorum multo tempore laboravi &c.\* Dubitari non potest, sententiam de simultanea pluralitate beneficiorum, quam secutus est miser Cancellarius, eo tempore fuisse probabilem, licet opposita haberetur probabilior; quia Doctor Angelicus, qui tunc vivebat. *Quod lib. 8. art. 13.* ubi versat quæstionem: *an liceat habere plures præbendas?* dictam sententiam non reiicit, sed de illa loquitur, sicut solet de



opinionibus probabilibus. At nihilominus Cancellarius eam sequens graviter peccavit. Respond. Cancellarium ideò graviter peccasse, vel quia ex dubio speculativo, quod vincere non studeat, de probabilitate illius opinionis cecidit in dubium practicum de licita retentione plurium beneficiorum, in quo casu debuerat eligere partem tutiorem, quod tamen non fecit, atque adeò se liberè coniecit in periculum peccandi, & in eo periit. Vel quia non habuit iudicium certum de licita sequela ejus sententiæ, licet crediderit, eam esse probabilem. Ex quo factum est, ut etiam caruerit ultimo iudicio practico moraliter certo de rectitudine suæ operationis. Carens autem ejusmodi iudicio exponit se manifesto periculo peccandi, si operetur. Cæterum aliæ objectiones quàm plurimæ, quas non vacat adducere, & solvi possunt ex hætenus dictis, & passim solutæ reperiuntur apud Authores benignos, præsertim apud Terillum, & Joan. de Cardenas, qui de tota hac controversia exactissimè scripserunt. Hos, si placeat, lege

XXIII. Jam Inferes primo, si quis *ly tutum* velit accipere pro eo, quod excludit periculum formalis peccati, non dari sententiam probabilem magis vel minùs tutam, sed omnes esse æqualiter tutas. Ratio est: quia quælibet sententia verè probabilis æqualiter excludit periculum hîc & nunc Deum offendendi. Inferes secundo, etiam in articulo mortis esse licitum sequi sententiam minùs, verè tamen probabilem relicta probabiliori & tutiori. Diana P. 2. tract. 13. resol. 9. & alij, quos refert Sporer de Consc. prob. sect. 3. n. 50. Item Clariss. P. Paulus tract. 4. disp. 14. a. 8. §. 3. n. 11. Ratio est: quia articulus mortis non facit, ut id, quod est semel licitum, sit illicitum. Ergo si usus ejusmodi sententiæ fuit licitus & certò prudens in vita, talis quoque erit in articulo mortis. Deinde sententia minùs probabilis vel est remota à  
peri-



periculo Deum offendendi, vel non? Si non: ergo nunquã licuit eam sequi reliquo tempore vitæ, quod esse falsum paulò ante ostendimus. Si est remota: ergo sicut eam secutus Deum nunquam offendisti in toto vitæ decursu, ita neque offendis in ultimo momento; quando secundùm illam operaris. Et ideò, qui tenens sententiam probabilem D. Thomæ circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem nunquam explicuit in confessionibus præcedentibus, etiam non tenetur explicare in ultima. Clericus, qui secutus sententiam probabilem habuit simul plures præbendas, in articulo mortis non est adigendus ad resignandum &c.

XXIV. Quæres hîc, undenam possit cognosci, an aliqua sententia sit certò probabilis, necne? Respond. ex Terillo, tres de hac re regulas posse constitui. Nam primo, quotiescumque omnes, vel plurimi asserunt, sententiam esse probabilem, nec quisquam contradicit: vel si pauci quidam contradicant, aliorum tamen rationes reliquerunt insolutas, nec rationes convincentes pro contrario attulerunt, talis sententia est certò probabilis. Secundo. Opinio communis, quæ frequenter docetur in Scholis, & invenitur in Authoribus, tamdiù debet censi certò probabilis, quamdiù nemo negat, esse probabilem, vel affert argumenta convincentia de opposito. Ratio hujus & prioris regulæ est: quia certitudo probabilitatis tamdiù manet in possessione, quam diù per rationes oppositas non evertitur. Tertio. Homini illiterato, & indocto illa opinio potest esse certò probabilis, quam ei ut veram, vel certò probabilem suadet vir doctus & probus, nec aliud quidquam occurrit in contrarium. Ratio est: quia eadem authoritas, quæ sufficit homini rudi ad prudentem fidem, etiam sufficit ad formandum prudens iudicium de certitudine probabilitatis:



litaris : atqui authoritas viri docti & probi sufficit homini rudi ad prudentem fidem ; ergo.

XXV. Quæres præterea, an usus sententiæ probabilis etiam habeat locum in eo, qui est incertus de veritate suæ fidei? Status quæstionis ita potest proponi. Quidam infidelis, sive hæreticus ob argumenta Catholicam Religionem suadentia dubitare ac formidare incipit, ne fortè secta, quam hætenus tenuit, sit erronea? adhibitioque veritatis studio eò deducitur, ut ipsi mysteria nostræ fidei appareant non quidem evidenter credibilia, autamen magis credibilia, seu probabilia, quam sectæ suæ dogmata, quæ ei adhuc, licet minus, videntur probabilia. Laymann, Bannez, & (saltem pro articulo mortis) Th. Sanchez docent, talem esse obligatum ad sectam suam relinquendam, fidemque nostram, quæ apparet probabilior, amplectendam. Ratio est : tum quia lumen naturæ dicat, eam religionem esse tenendam, quæ cæteris est verisimilior, tum quia in medio ad salutem tam necessario, quale est fides, eligi debet pars tutior, ne exponamur periculo errandi. E contra Castropalao & Cardenas in *Crisi Theolog. dissert. 3.* & alij apud Illusung talem liberant ab ejusmodi obligatione. Ratio est : quia secundum D. Th. 2. 2. q. 1 a 4. ad 2. & communem Theologorum, ut infidelis teneatur amplecti fidem Catholicam, requiritur in illo evidentiā credibilitatis, qua ejus intellectus ita reddatur convictus de falsitate erroris contrarij, & de veritate nostrorum dogmatum, ut manifestè videat, suam sectam esse improbabilem & incredibilem. Sed talis evidentiā de fide Catholica dari non potest in eo, cui error oppositus adhuc apparet probabilis, atque credibilis : sicuti contingit in casu nostro ; ergo non tenetur illam amplecti. Deinde non video, quomodo doctrina illorum Authorum non incurat damnationem propositionis 21. inter prosriptas ab Innocent. XI. ita sonantis:



sonantis: *Affensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: immò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.* Sanè notitia de veritate fidei Catholicæ, quam in nostro casu habet infidelis, non transcendit limites probabilitatis. Ergo si tenetur credere fide supernaturali, tenetur elicere assensum supernaturalem cum notitia solum probabili revelationis. Præterea notitia probabilis, aut probabilior Divinæ revelationis non excludit formidinem, ne non sit locutus Deus. Ergo hic infidelis habebit assensum fidei supernaturalem stantem cum tali formidine.

XXVI. Quid ergo agendum huic homini? Respondeo, illum teneri ad procurandam sibi certitudinem fidei veritatem studiosius investigandò: quam etiam propter ejus signa atque indicia manifestissima, quæ cunctis sunt obvia in DEI Ecclesia, inveniet infalibilibiter. Unde nulla hic praxis sententiæ probabilis, vel probabilioris; quia ignorantia veritatis, quæ hic intervenit, est vincibilis, qualis non est in opinionibus probabilibus circa alias materias morales. Cæterùm in articulo mortis talis tenetur precari à DEO illustrationem intellectus, & notitiam veritatis, quam obtinebit procul dubio. Facit enim, quod tunc in se est. Facienti autem, quod in se est ex viribus gratiæ DEUS non denegat gratiam: ut loquitur axioma Theologicum. Quòd si moribundus eam illustrationem à DEO petere negligat, infidelitas ipsi imputabitur ad culpam. Cardenas *dissert. 14. c. 7. n. 103.* Ad rationes primæ sententiæ Respond. Lumen naturæ in hoc casu dictare, ut diligentius investigetur veritas. nam certa hujus notitia circa negotium religionis haberi potest ab omnibus, qui degunt inter fideles. In articulo verò mortis, ubi non vacat amplius rem examinare operosius, jubet recta ratio illustrationem intellectus, & lumen fidei à DEO petere. In eligenda parte, quæ videtur tutior, hic non est



sistendum, sed ulterius tendendum ad certitudinem. Quin immò neutra earum partium potest apparere tuta. Atque in hunc modum evadimus damnationem 4. & 21 propositionum ab Innoc. XI. prohibitarum, & motæ quæstioni satisfacimus.

### ARTICULUS III.

#### *De usu sententiarum probabilium particulari.*

**J**Uvat nunc explorare, quomodo ea, quæ de legitimo usu Probabilitatis dicta sunt generatim, habere se debeant in praxi quotidiana. Quare discurrendò per materias particulares damus Ministrum Sacramenti, Medicum, Judicem, & Advocatum, quidque cuilibet in suo statu ac conditione circa probabilium opinionum electionem sit licitum, vel illicitum? inquirimus. De alijs quibusdam generibus hominum mox in seq. §. differemus.

#### §. I.

*An liceat relicta opinione propria probabiliori ac tutiori sequi alienam minus probabilem, minusque tutam? item: an hanc liceat consulere, vel docere?*

#### SUMMARIUM.

1. Licitum est relicta propria sententiâ sequi alienam minus probabilem, minusque tutam: immò etiam consulere.
2. Quid si expresse rogeris tuam sententiam?
3. 4. Quid hic liceat, vel non liceat Professori publico?
5. 6. Quid Confessario?
7. Quomodo peccet Confessarius non absolvens pœnitentem, qui sequitur opinionem suâ contrariam.
8. Subditus tenetur obedire, licet probabiliter, vel probabilius existimet, rem præceptam esse illicitam.
9. Quid si existimet, in aliquo casu se non esse obligatum ad obediendum?
10. Impugnatio doctrinæ num. 8. Assertæ.
11. An subditus teneatur obedire Superiori, quem putat non esse legitimum?

I. Corol.



I. **C**orollarium I. Quilibet licitè sequitur opinionem probabilem aliorum relicta propria probabiliore ac tutiori. Th. Sanchez 1. in Decal. c. 9. n. 14. Castropal. *Disp. 2. de Consc. opin. pu. 2. n. 2.* Bonac. *Disp. 2. de peccatis. q. 4. pu. 9. n. 4.* est communis. Ratio est: quia sequens opinionem aliorum verè probabilem prudenter agit non minùs, quàm illi, qui eam sequuntur ut propriam, potest enim prudenter judicare, motiva talis sententiæ etiam esse digna rationabili assensu, atque adeò ex illa formare certum dictamen Conscientiæ. Hinc Doctor Theologiæ moralis, vel alius, à quo petitur Consilium, potest respondere secundùm sententiam minùs probabilem, & minùs tutam non solùm propriam, sed etiam alienam. Sayrus in *clavi reg. lib. 1. c. 6. n. 4. & 11.* Bonac. *loc. cit. n. 6.* Diana *parte 2. tract. 13. resol. 14.* Bardi *discept. 4. c. 20.* & alij. Ratio est: quia quilibet alteri licitè suadet, quod ipsemet licitè sequitur: neque enim quis tenetur magis curare alterius Conscientiam, quàm suam. Atqui ejusmodi sententiam consultus ipsemet licitè sequitur, ut constat ex dictis; ergo. Neque sequitur, respondentem ex aliorum sententia loqui contra propriam mentem: quia vel potest assensum de probabilitate suæ sententiæ omninò suspendere: vel potest cum dissensu speculativo de licita sequela alienæ sententiæ habere assensum practicum de licetitate illius, atque secundùm hunc eam consulere: quod non est loqui contra mentem.

II. Cæterùm tradita mox doctrina eatenùs limitanda est, ut non habeat locum, quando quis expressè interrogatur, quid ipsemet ex sua propria sententia teneat? vel quid sit tutius, & probabilius? in tali enim casu vel penitùs debet abstinere à responsione; vel tenetur respondere secundùm propriam, & probabiliorem, tutiorémque sententiam. Ita ex Joanne à S. Th. docet Clariss. P. Paulus Mezger *tract. 5. disp. 14. 4. 9. q. 2. n. 4.* Bardi *loc. cit. n. 5.*



Ratio est: quia aliàs interrogantem deciperet, & peccaret contra veracitatem, ac fidelitatem. Itaque valet prædicta doctrina, quando consultans aliud non exprimit, sed præcisè interrogat, quid liceat? vel utrùm ad aliquid obligetur? v. g. an liceat inire talem contractum? an teneatur restituere? talis enim præsumitur solùm esse sollicitus, quid citra imprudentiam ac culpam in re favorabili à se fieri; vel utrùm ab obligatione honestè excusari possit? non autem, quid ille, quem consultit, absolutè sentiat, vel censeat esse probabilius ac tutius? Immò, ut vult Tambur. 1. in *Decalog. c. 3. §. 4. n. 15.* in tali casu non solùm quis licitè potest, sed etiam tenetur respondere secundùm partem interroganti favorabilem, posito, quòd velit respondere. Ratio est: quia ille hoc ipsum interrogare præsumitur, an nempe sit aliqua via favorabilior, quam liceat citra periculum peccati in operando tenere? Ergo si talem sciat consultus, tenetur manifestare: secùs enim non agit bona fide.

III. Corollarium II. Doctor, vel Professor publicus non tenetur docere ea quæ ipsi videntur probabiliora, sed satisfacit suo muneri, dum docet etiam minùs probabilia, quamdiù non prævidet, inde scandalum exoriturum. Sanchez *ubi supra n. 26.* Castropal. *n. 7.* Tambur. *n. 16.* Ratio est: tum, quia obligatio habendi pro qualibet opinione motiva probabiliora foret nimis onerosa: cum scapè, quod heri apparuit probabilius, hodie appareat minùs probabile. Atque hinc fieret, ut quis ferè quotidie teneretur mutare sententiam, quam dictavit è cathedra, tum etiam, quia quilibet docendo sententiam verè probabilem prudenter se gerit, eo ipso, quòd ingerat intellectibus Auditorum motiva digna prudenti assensu, ejusque viam ostendat se prudenter gerendi. Atqui docens sententiam minùs probabilem docet sententiam verè probabilem; ergo.

IV. Co-



IV. Corollarium III. In materiis fidei vel morum scienter, vel ex ignorantia culpabili docere falsa & improbabilia est peccatū mortale. ita *citt.* Ratio est: quia sic docens dat Auditoribus ansam periculosam errandi in rebus ad animæ salutem pertinentibus, eosque graviter decipit. Mortaliter quoque ille peccaret, qui in materiis etiam levioris momenti v. g. Logicæ, vel Rhetoricæ, communiter doceret improbabilia. Sanchez *loc. cit.* Castrop. n. 8. Ratio est: tum quia non satisfaceret suo officio, quod est docere vera, refutare falsa. tum, quia discipulis, quorum intellectibus errores infeminaret, esset graviter injurius. & ideo teneretur restituere, hoc est, errores tollere, & dedocere. Dixi: si ita communiter doceret. nam una, vel altera vice id facere non videtur continere gravem malitiam propter levitatem materiæ.

V. Corollarium IV. Etiam Confessarius licitè respondet pœnitenti juxta sententiam alienam contra propriam, modo illa sit verè, & practicè probabilis. Est communis doctrina, & sequitur ex dictis. Hinc interrogatus à Confitente, an teneatur ad restitutionem? An sit obligatus ad jejunandum? &c. licitè respondet, non teneri, non obligari, quando scit, dari sententiam probabilem id docentem, quamvis eam ipse non teneat. Immo quando sunt duæ sententiæ, una rigida obligans v. g. ad jejunium; altera benigna excusans à jejunio, videtur etiam obligatus, ut Respondeat secundum benignam: sicut colligitur ex dictis n. 2. licet ipse teneat rigidam. Optimè tamen in istis casibus agit Confessarius, quando quidem non dicit, esse obligationem jejunandi, restituendi &c. svadet tamen hoc ipsum horrandò ad tutiora, & perfectiora, ostendendò occasionem meriti & similia.

VI. Corollarium V. Omnis Confessarius sive ordinarius, sive delegatus tenetur absolvere pœnitentem ex opinione probabili operantem, quamvis ipse sequatur contrariam. Veluti con-



tingeret, si Confessarius judicaret, contractum aliquem esse usurarium, quem tamen Titius v. g. probabiliter judicaret, non esse usurarium, eumque contra sententiam Confessarij vellet inire. In hoc casu Titio non potest denegari Sacramentalis absolutio. Navarr. *in man. c. 26. n. 4.* Sayrus *in clavi lib. 1. c. 9. à n. 23.* Sanchez. *loc. cit. n. 29.* Layman. *lib. 2. tract. c. 5. §. 2. n. 20.* Diana *ubi supræ resol. 11.* Castrop. *pu. 4. n. 2.* Bardi *c. 21. n. 5.* & alij, estque communis sententia. Ratio est: quia Confessarius audita confessione tenetur absolvere quemlibet confitentem rectè dispositum. Sed sequens sententiam probabilem etiam contrariam persuasioni Confessarij est rectè ( si aliud nihil obstat ) dispositus; ergo Confessarius tenetur eum absolvere.

VII. Cæterùm quale & quantum sit peccatum tali pœnitenti negare absolutionem, non ita liquet. Sayrus existimat, id non semper esse peccatum mortale, eò quòd Confessarium ab hec sæpè excuset bona fides, &, ut addit Vasquez relatus à Bardi, zelus propriæ opinionis. Adstipulatur Thomas Sanchez credens, ob parvitatem materiæ posse contingere, ut committatur peccatum veniale tantùm, puta si confessio foret admodùm brevis, vel de meris venialibus. Censet enim, pœnitenti tunc non inferri gravem injuriam, nec injungi grave onus, si cogatur confessionem repetere apud alium Confessarium, Joan. Sanchez apud Castrop. *n. 3.* Dicit, esse peccatum mortale, quando pœnitens confessus est mortalia. Castrop. tenet, Confessarium, si credat, pœnitentem non obstante contradictione suæ sententiæ esse rectè dispositum, isque nolit consentire in denegationem absolutionis, probabilius committere peccatum mortale, si non absolvat, sive confessio sit de mortalibus, sive de venialibus tantùm. Ratio ipsius est: quia etiam confitentem solùm venialia ( de mortalibus enim videtur res certa ) privat magno beneficio Sacramenti, ad quod habet jus: ergo



ergo infert illi gravem injuriam, & graviter peccat. Ant. probat. nam si quis ex voto teneretur confiteri, solùmque haberet peccata venialia, procul dubio graviter peccaret, si non confiteretur: ex quo videtur colligi, esse materiam gravem, tam adigere pœnitentem ad iterandam confessionem venialium, quàm ad carendum fructu, ac beneficio illius. Neque refert, privationem ejusmodi beneficij, ac damnum à pœnitente facilè reparari posse venialia rursus alteri confitendo. nam præterquàm, quod hæc reparatio respectu negantis absolutionem sit merè per accidens, in metienda gravitate damni non debet attendi, qua ratione damnificatus id possit reparare, sed ejus natura, ut est in se. Hic modus sentiendi, licet paulùm severior, præplacet mihi, saltem per se loquendo.

VIII. Corollarium VI Quando Superior probabiliter existimat, id, quod præcipit esse licitum, subditus tenetur obedire etiam contra propriam sententiã, qua probabiliter, vel omninò probabiliùs judicat, rem præceptam esse illicitam. Sayrus *c. 12. à num. 2* Sanchez *6 in Decal c. 3. n. 6*, Layman. *loc. cit. n. 11*. Sporer *de Consc. prob assert. 8. § 4. n. 46.* & est communis sententia. Prob. quotiescunque certum est, Superiorem justè præcipere, subditus tenetur obedire. Sed certum est, Superiorem præcipientem juxta sententiam probabilem justè præcipere; ergo subditus ita præcipienti tenetur obedire. mai. constat, mi. ostenditur. Superior hoc ipso, quòd sit superior, habet certum jus, & possessionem præcipiendi non solùm id, quod est re ipsa licitum, sed etiam id omne, quod non constat esse illicitum. & quod ipsi prudenter apparet esse licitum, prout diximus *c. preced.* Atqui in casu nostro non constat, id, quod præcipitur, esse illicitum; imò Superiori prudenter apparet esse licitum: ergo Superior habet certum jus, & possessionem id præcipiendi. ergo certum est, Superiorem præcipientem juxta sententiam probabilem justè præcipere.

IX. Quòd si subditus habeat opinionem probabilem oppositam



ram opinioni probabili, vel etiam probabiliori Superioris, non quidem de ipsa re præcepta, quòd sit illicita, sed quòd ipse in aliquo casu parere non teneatur, tunc potest quidem obedire, non tamen tenetur. Docent ita Sayr. *ubi supra num. 3.* Sanchez. *num. 7.* & aliis relatis Castrop. *punct. 6. num. 1.* Ratio primi est, tum, quia subditus tamdiù licitè potest obedire superiori, quamdiù non constat, eum injustè præcipere: atqui in simili casu non constat, Superiorem injustè præcipere; ergo, tum, quia licitè relicta propria sequi potest sententiam probabilem Superioris. Ratio secundi est: quia híc jus & possessio præcipiendi ex parte Superioris non sunt certa, eo ipso, quòd sit opinio probabilis negans, subditum esse obligatum ad obediendum, ipseque Superior solùm probabiliter existimet, subditum esse obligatum. Ergo non est certum, quòd Superior justè præcipiat, sed solùm probabile: & consequenter subditus probabiliter solùm tenetur obedire, & probabiliter non tenetur. adeòque non aufertur ipsi jus, ac libertas sequendi utramlibet sententiam probabilem sive suam, sive Superioris.

X. Verùm supposita veritate hujus doctrinæ surgit argumentum satis robustum contra sententiam communem *num. 8.* assertam probans: ejus quoque oppositam esse probabilem. In forma sic arguitur: subditus probabiliter existimans, quòd non teneatur obedire, non tenetur obedire, ut primùm ostendimus: sed subditus, cui est probabile, rem præceptam esse illicitam, probabiliter existimat, quòd non teneatur obedire; ergo subditus, cui est probabile, rem præceptam esse illicitam, non tenetur obedire. *mi. prob. nam in primis non videtur, unde quis rationabilis opinari possit, nullam esse obligationem obediendi, quàm ex probabili inhonestate materiæ præceptæ.* Deinde: dum est probabile subdito, quòd non teneatur obedire, possessio præcipiendi ex parte Superioris non est certa, sed solùm probabilis: ergo etiam, dum



dum est illi probabile, rem præceptam esse illicitam, possessio præcipiendi est solùm probabilis. sicut, dum est certum, rem præceptam esse licitam, possessio præcipiendi est certa, & dum est certum, rem præceptam esse illicitam, possessio præcipiendi est nulla. Atqui ubi possessio præcipiendi ex parte Superioris est incerta, & solùm probabilis, subditus probabiliter existimat, quòd non teneatur obedire; ergo ille, cui est probabile, rem præceptam esse illicitam, probabiliter existimat, quòd non teneatur obedire. Confirm. primo. Superior nunquam fuit in possessione præcipiendi rem illicitam: ergo dum est probabile, rem præceptam esse illicitam, etiam est probabile, Superiorem non habere jus eam præcipiendi. sed dum est probabile, Superiorem non habere jus præcipiendi, subditus probabiliter non tenetur obedire; ergo dum est probabile, rem præceptam esse illicitam, subditus probabiliter non tenetur obedire. Confirm. Secundo. Quando quis existimat probabiliter, peccatum à se commissum non esse mortale, sive jam semel esse subjectum clavibus, illud non tenetur confiteri: veluti probat pluribus relatis cit. Sanchez. 1. in Decal. c. 10. n. 76. ergo similiter existimans probabiliter, rem præceptam esse illicitam, non tenetur eam exequi. conseq. prob. tum, quia præceptum Superioris non est censendum obligare strictiùs, quàm præcepta Christi, & Ecclesiæ. tum, quia idèd verum est Ant. quòd propter opinionem probabilem confitentis præceptum de integritate materiali confessionis respectu talis peccati sit solùm in possessione probabili. Atqui etiam in casu nostro præceptum Superioris de executione rei probabiliter illicitæ est solùm in possessione probabili, & incerta; ergo. Judico, hanc sententiam esse satis probabilem. eam defendit Castrop. à n. 5. cum pluribus aliis, quos refert n. 6. communis tamen opposita in praxi est semper suadenda. Vis tota utriusque in eo videtur sita, quòd una velit, Superiorem

Bb

habere



habere jus certum præcipiendi non solum ea, quæ sunt certò licita, sed etiam illa omnia, quæ non sunt certò illicita: altera verò contendat, Superiorem habere jus certum præcipiendi ea tantum, quæ sunt certò licita.

XI. Subditus probabiliter existimans, Superiorem non esse legitimum eò, quòd opinetur non esse legitime electum, & confirmatum, tenetur præcipienti obedire. Idem dicendum est, quando est utrimque probabile, an res præcepta excedat potestatem, vel jurisdictionem Superioris. Sanchez. 6. in Decal. c. 3. n. 29. Ratio est: quia Superior (ut supp.) est in legitima possessione Superioratus: ergo tamdiù reputandus est legitimus Superior, quamdiù oppositum non est certum: ergo non est æquum, ut subditus credat, ipsum non legitime præcipere, seque ab obligatione parendi esse solutum. Nihilominus etiam contraria sententia probabilis est, quam aliis relatis tenet Castrop. n. 8. Ratio est: quia tunc possessio præcipiendi non est certa, sed solum probabilis propter sententiam probabilem subditi. Atqui dum jus & possessio præcipiendi est solum probabilis, subditus, licet possit, non tenetur obedire: velut ostendimus n. 9. & 10. ergo.

## §. II.

*An Minister Sacramenti, vel recipiens Sacramentum licite sequatur sententiam probabilem minus tutam relictam tutiori?*

## SUMMARIUM.

12. *Quæ sit sententia tutior, & minus tuta?* 13. *Circa essentialia Sacramenti minister tenetur sequi sententiam tutiorem.* 14. *Id tamen intelligendum est extra casum necessitatis.* 15. *Depellitur instantia.* 16. *Minister extra necessitatem sequens sententiam minus tutam circa essentialia Sacramentorum peccat mortaliter.* 17. *Etiâ recipiens Sa-*  
cra-



*cramentum debet sequi sententiam tutiorem. 18. 19. Solvitur duplex objectio. 20. Confessario non licet absolvere cum jurisdictione mere probabili. 21. An Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis in casu opinionis probabilis de ipsa?*

**XII.** **I**lla opinio hic dicitur minùs tuta, quæ Sacramentum exponit periculo frustrationis, vel invaliditatis: tutior e contra dicitur, quæ Sacramentum non exponit tali periculo. v. g. opinio asserens, Baptismum collatum in lixivio esse validum, est minùs tuta. quia dum non est certum, Baptismum in ejusmodi materia collatum esse validum, periculum est, ne, si conferatur, invalidè conferatur. Opinio verò asserens, Baptismum collatum in lixivio non esse validum, est tutior. quia, si quis secundùm hanc operatur, nullum creat periculum valori Sacramenti, ut est clarissimum. Hoc animadverso, sit

**XIII. Corollarium VII.** Quando opiniones versantur circa essentialia Sacramenti, non licet ministro relicta tutiori sequi probabilem minùs tutam, sed tenetur sequi tutiorem. Ita communis DD. præsertim hodie post decretum Innocentij XI. 1679, die 2. Martij editum. Ratio ex dictis artic. *preced.* §. 2. n. 19. est: quia sententia probabilis minùs tuta hic non est practicè probabilis: ergo tenemur sequi tutiorem. *conseq.* patet. Ant. prob. sententia exponens Sacramentum periculo invaliditatis non est practicè probabilis: sed sententia probabilis minùs tuta exponit Sacramentum periculo invaliditatis; ut constat: ergo non est practicè probabilis. *mai. prob.* nulla sententia contraria certæ legis obligationi est practicè probabilis: sed sententia exponens Sacramentum periculo invaliditatis est contraria certæ legis obligationi; ergo non est practicè probabilis. *mai. est clara. mi. prob.* nam in primis est certa lex religionis, qua jubemur sancta tractare sanctè, & in re tanti momenti operari secundùm institutionem Christi, adeoque



cavere periculum eam frustrandi. Deinde est certa lex charitatis, qua tenemur vitare damnum proximi non minus Spirituale, quam temporale. Demum est certa lex justitiæ, saltem respectu illius, qui est minister ex officio, ne invalidè, & cum periculo frustrati-  
onis fidelibus administraretur Sacramentum. Atqui sententia probabilis minus tuta his omnibus est contraria; ergo. Et hæc doctrina præsent. Coroll. intelligenda est extra casum necessitatis, & quando sententia tutior est practicu possibilibus. Secus enim locum habet

XIV. Corollarium VIII. Dum urget necessitas, & tutior sententia non potest deduci in praxim, minister licitè sequitur sententiam probabilem minus tutam. v.g. quando infans est in articulo mortis, & non adest aqua certò naturalis, est tamen in promptu lixivium, Baptizandus est infans in lixivio sub conditione, ut, si fortè materia sit valida, consequatur vitam æternam. Est communis & certa sententia. Ratio est: tum, quia salus animæ, quæ est finis Sacramenti ceu medij, præferri tunc debet valori Sacramenti, nam finis est principalior, quam media. tum, quia reverentiæ Sacramenti satis cavetur per adjectionem conditionis. Immo (ut rectè advertit Cardenas in *Crisi dissert. 2. cap. 1. num. 5.*) ipsa necessitas aufert omnem irreverentiam. Sic procul dubio loqui sacerdotem inter celebrandum est irreverentia: at urgente necessitate, ut quid postulet requisitum ad sacrificium, cessat omnis irreverentia, si loquatur. Similiter currere in templo est irreverentia, at quando ferociens taurus, vel ursus irrumpit, salutem in pedibus quærere non est irreverentia.

XV. Dices. Confessarius probabiliter existimans, pœnitentem esse verè contritum, vel attritum, eum licitè absolvit, atque adeò licitè sequitur hanc suam opinionem probabilem de dispositione pœnitentis. Modò sic: hæc opinio versatur circa sub-  
sta



stantiam Sacramenti; quia versatur circa dolorem, qui est pars essentialis illius. Est insuper minùs tuta: quia exponit Sacramentum periculo frustrationis, si enim esset à parte rei falsa, pœnitens absolveretur invalidè. Atqui hanc opinionem minister licitè sequitur etiam extra casum necessitatis: ergo licitè sequitur opinionem probabilem minùs tutam in administratione Sacramenti extra casum necessitatis. Respond. ad formam argumenti conc. mai. ejùsque probatione dist. mi. hanc opinionem minister licitè sequitur non relicta tutiori conc. relicta tutiori neg. mi. & dist. conseq. ergo licitè sequitur opinionem probabilem minùs tutam &c. non relicta tutiori conc. relicta tutiori, neg. conseq. Quando sententia tutior circa dispositionem pœnitentis non est electu possibilis, non peccat minister, si in administratione Sacramenti pœnitentiæ sequatur probabilem minùs tutam etiam extra casum necessitatis: veluti comprobatur praxis Ecclesiæ: quia tunc non relinquit sententiam tutiorem. Neque enim dicimur relinquere, quod est impossibile, sed quod est in nostra potestate, & quod possumus eligere; atqui non est semper in potestate Confessarij eligere sententiam tutiorem circa dispositionem pœnitentis. Quia de hac ut plurimum habere potest cognitionem solum probabilem, ex asseveratione videlicet pœnitentis, & alijs signis externis fallibilibus. Et sanè si teneretur amplecti sententiam tutiorem, vix unquam absolutè posset absolvere: cum ferè nunquam possit esse certus de sufficienti dispositione pœnitentis.

XVI. Corollarium. IX. Peccat mortaliter primo, qui extra necessitatem confert Baptismum in lixivio, cerevisia, aqua rosacea, vel ex sale resoluta. Secundo, qui baptizat infantem in digito, vel alia parte corporis minima; vel in solis capillis; vel circumdatum pelle secundina. Tertio, qui baptizat in hac forma: *ego te baptizo in nomine Christi*; vel: *ego te baptizo in nomine Genitoris,*

Bb 3



*nioris, & Geniti, & procedentis ab utroque.* Quarto, qui ministrat Sacramentum Confirmationis sine balsamo. Quinto, qui consecrat in alio pane, quam triticeo; vel in vino congelato, dum est congelatum. Sexto, qui in consecratione calicis solum utitur his verbis: *hic est calix sanguinis mei*, cæteris omissis. Ratio est: quia omnes sententiæ, quæ asserunt, his modis valide confici ea Sacramenta, sunt minus tutæ suis oppositis, & solum speculative probabiles, atque adeo extra casum necessitatis impracticabiles propter rationes in num. 13. adductas. Lege Joan. de Cardenas *loc. cit. c. 5. à n. 42.*

XVII. Corollarium X. Etiam recipiens Sacramentum, quando sententiæ versantur circa valorem illius, tenetur sequi tutiorem relicta probabili minus tuta. Suarez *tomo 4. in 3. part. disp. 27. sect. 6.* quem cum alijs multis sequitur Cardenas *c. 4. à n. 28.* Ratio est: minister in administratione Sacramenti tenetur sequi sententiam tutiorem relicta probabili minus tuta, ut hætenus vidimus: ergo etiam recipiens Sacramentum consequi prob. ideò tenetur minister, quia sequendò minus tutam exponit Sacramentum periculo invaliditatis, quod extra necessitatem, & quando tutior est practicabilis, omnino est illicitum. Sed etiam recipiens sequendò probabilem minus tutam exponit Sacramentum simili periculo; ergo etiam recipiens tenetur sequi sententiam tutiorem relicta probabili minus tuta.

XVIII. Obijcies primo. Sententia asserens, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere attritionem etiam cognitam ut talem, est minus tuta, quam sententia requirens contritionem perfectam: pariter sententia docens, non esse obligationem explicandi circumstantias merè aggravantes in confessione est minus tuta, quam opposita, & tamen quis solum attritus, aut non confessus circumstantias merè aggravantes licitè recipit Sacramentum



tum Pœnitentiæ, ut omnes fatentur: ergo recipiens Sacramentum licitè sequitur sententiam probabilem minùs tutam relicta tutiori. Respond. eam sententiam, quæ asserit, attritionem sufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, esse omninò certam, veluti clarè habetur ex definitione Concilij Trid. *sess. 14. c. 4.* ubi de attritione ponuntiat, illam, *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se perducere peccatorem ad justificationem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponere.* Docet id etiam Suarez cum pluribus alijs relatus à Paulino Berti in additionibus ad clau. reg. Sayri post c. 7. l. 1. unde ea sententia non est minùs tuta quàm opposita, loquendò adversativè; quia non exponit Sacramentum ulli periculo invaliditatis: sed solum comparativè. Illa potrò opinio, quæ requirit attritionem cognitam ut contritionem, non requirit ad validè, sed ad licitè recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Similiter sententia requirens explicationem circumstantiarum merè aggravantium non versatur circa valorem Sacramenti. nam si quis ex oblivione naturali, vel ignorantia invincibili taceat ejusmodi circumstantias, validè confitetur, non minùs, quàm oblitus confiteri unum peccatum mortale, si reliqua confiteatur: quod verum non esset, si expressio earum circumstantiarum esset de valore Sacramenti.

XIX. Obijcies Secundo. Minister magis obligatur procurare valorem Sacramenti, quàm recipiens: ergo non sequitur, si peccet minister in ejus administratione, etiam peccaturum recipientem. Ant. prob. nam Sacramenta sunt instituta in favorem recipientium, non ministrantium: ergo recipientes possunt licitè cedere hoc favore, non autem potest minister minùs accuratum se gerere in ejus dispensatione. Confirm. Minister quoad essentialia requisita ad Sacramentum, materiam videlicet, formam, & intentionem, non habet ullam difficultatem practicandi ser-

tenti-



sententiam certam, vel tutiorem; potest autem recipiens habere circa illa maximam difficultatem: v. g. pœnitens circa elicientiam doloris, integritatem confessionis &c. Ergo licet minister rationabiliter obligari possit ad praxim sententiæ tutioris, non tamen potest sic obligari recipiens. Respond. ad object. omisso Ant. neg. conseq. nam etiam Religiosus magis obligatur servare castitatem, quam secularis: uterque tamen peccat, si eam violet, iste quidem minùs; at ille magis. Ad probat. Ant. omisso Ant. neg. recipientem posse cedere favore Sacramenti ex hypothese, quòd velit recipere Sacramentum. Nam eo ipso, quòd velit recipere Eucharistiam v. g. censetur etiam velle augmentum gratiæ (in quo consistit ejus favor) quod confert ex opere operato. Neque enim favores, qui proveniunt fidelibus ex receptione Sacramentorum, sunt instar favorum humanorum, qui etiam præstitis ad sui imperationem necessarijs obsequijs vel acceptari possunt, vel recusari. Accedit, quòd Christus Sacramenta instituerit ad communicandum fidelibus fructum suæ passionis: ergo fideles eo ipso, quòd velint suscipere Sacramenta, graviter peccant contra institutionem, & intentionem Christi, quando illam ex sua parte exponunt periculo frustrationis. Ad Confirm. dico, difficultatem practicandi sententiam certam, vel tutiorem ex parte recipientis, si qua occurrat, vel non esse tam magnam, ut eum excuset à tali praxi; vel non esse circa valorem Sacramenti; vel non esse majorem illâ, quam ex sua parte in multis casibus pati potest minister.

XX. Corollarium XI. Sacerdos habens jurisdictionem solùm probabilem non absolvit licitè. Ratio est: qui absolvit cum jurisdictione solùm probabili, exponit Sacramentum periculo invaliditatis: ergo non absolvit, licitè. conseq. constat: quia Sacramentum exponere tali periculo non est licitum. Ant. prob. nam si opinio, qua probabiliter existimat, se habere jurisdictionem, à parte



parte rei sit falsa, absolvit sine jurisdictione: ergo absolvit invalidè. Atqui non est securus, ne illa opinio sit reipsa falsa, & neque aliunde est certus de jurisdictione: sicut supponitur; ergo. Cardenas *dissert. cit. c. 6. a. 3. n. 137.*

XXI. Corollarium XII. Quando Sacerdos habet opinionem verè probabilem, & quam ut talem communiter recipiunt sapientes, circa jurisdictionem, unàque titulum putativum à legitimo Superiore collatum, tunc licitè absolvit. Ratio est: quia sacerdos ex tali opinione potest formare certam Conscientiam de honestate absolutionis ita discurrendo: opinio verè probabilis, qua modò existimo, me habere jurisdictionem, vel est à parte rei vera, vel falsa? si vera: Sacramentum non expono periculo; quia absolvo validè. Si falsa: tunc est error communis tam doctis, qui hanc opinionem admittunt ut veram; tam indoctis, qui, quod docti asserunt, credunt. Atqui in errore communi, si accedat insuper titulus putativus, Ecclesia certissimè supplet defectum jurisdictionis; veluti docent communiter D. D. apud Joan. de Cardenas, *a. 6. n. 160. & seq.* ergo certissimum est, me habere jurisdictionem: ergo certissimum est, me ex hoc capite licitè, & validè absolvere.

## §. III.

*Quam Sententiam sequi teneatur Medicus, vel  
Chirurgus?*

## SUMMARIUM.

22. *Medicus, vel Chirurgus tenetur agrotò adhibere medicinam certam, si possit.* 23. *Si non possit, tenetur adhibere probabilem.* 24. *An liceat Medico experiri in agrotò vim pharmaci dubij?* 25. *Quid, si salus patientis sit penitus desperata?* 26. *Ex medicinis probabilibus adhibende sunt probabiliores.* 27. *Caute pro illis, qui adsunt agrotis.*



XXII. **C**orollarium XIII. Medicus, vel Chirurgus tenetur, quando potest, ægroto abhibere medicinam certam (id est, talem, quæ videtur sanitatem certò allatura) relicta probabili, & dubia. Sayrus in clavi *lib. 1. c. 10. n. 7.* Sanchez 1. in *Dec. c. 9. n. 39.* Laym. *l. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. n. 15.* Bardi *discept. 4. cap. 30.* & DD. communiter. Ratio est: tum, quia lex certa charitatis obligat Medicum, ut proximo graviter indigenti ferat opem securam: quod planè non faceret, si relicta certâ adhiberet medicinam probabilem, vel dubiam. Tum, quia ratione officij, & taciti contractus, qui inter ipsum, & ægrotum intercedit, tenetur omni meliori ac securiori modo illius saluti prospicere. sub hac enim, & non alia conditione æger præsumitur curandum se tradere Medico. nam quis prudenter suam salutem Medico crederet, de quo constaret, quòd relicta certis, ac tutioribus pharmacis utatur incertis, & dubijs?

XXIII. Corollarium XIV. Quando nullum habetur medicamentum certum, Medicus tenetur adhibere probabile, id est, tale, quod probabiliter esse profuturum existimat. Sanchez. *cit. n. 42.* Castrop *pu. 9. n. 2.* Quòd si nullum adsit probabile, tenetur adhibere dubium, sive tale, de quo dubitat, an sit salutiferum? modò sit certus, id non obfuturum. Ratio horum est: quia relinquere infirmum sine omni remedio repugnat charitati, & officio Medici. Nam applicato simili pharmaco fieri potest, ut convalescat: si non applicetur, fortè in gravius vitæ periculum conijcitur, & quia supponitur, medicamentum non obfuturum, æger per ejus applicationem non exponitur periculo. Castrop. *loc. cit.*

XXIV. Corollarium XV. Graviter peccat Medicus, dum pharmacum dubium præbet ægro etiam desperatæ salutis, ut experiatur, an sit salubre, vel noxium? Sayrus. *n. 6.* Sanchez. *n. 38.* Castrop. *n. 3.* Ratio est: tum, quia nemini licet comparare scientiam



tiam cum alterius pernicie. Tum, quia sic operans exponit se periculo, ne tali pharmaco acceleret mortem patientis: immò periculum hujus accelerationis fit ipsi indirectè voluntarium: quia liberè ponit causam illius.

XXV. Corollarium XVI. Non potest Medicus licitè adhibere medicamentum omninò dubium, an sit salubre, vel noxium? tamen si ægroti salus sit penitè conclamata. Castropal. n. 5. & plurimi ab eo cit. Ratio est eadem proportionaliter, quæ prioris Corollar. quia nimirum Medicus applicans medicamentum, de cujus salubritate nullam habet probabilitatem, quantum est in se, sine necessitate exponit se periculo infirmi mortem accelerandi: ergo non est licita talis applicatio. Igitur in hoc casu (inquit Sayrus) pars tutior est eligenda à Medico, scilicet, ut infirmum potius Divinæ providentiæ, quam tali medicinæ relinquat. Cæterum quando habet spem utcumque probabilem, quòd remedium sit profuturum, id licitè applicat: quia probabilis spes vitæ præferenda est certæ morti, quæ non adhibito tali remedio supponitur moraliter certa. Neque tunc Medicus est in morali periculo, ne mortem infirmi acceleret: nam licet contingat, ut medicina re ipsa sit noxia, id non imputatur illi ad culpam; quia in ejus applicatione prudenter se gessit. Et hinc locum habet illud dictum Galeni ad Medicum: *interfice audacter*. Sayr. n. 10. Laym. loc. cit.

XXVI. Corollarium XVII. Inter plura pharmaca, quorum alia sunt minùs probabiliter; alia probabilius profutura, Medicus tenetur applicare probabiliora, ac tutiora relictis minùs probabilibus, minùsque tutis. Sanchez ubi suprà n. 41. Laym. loc. cit. Bonac. Disp. 2. de peccat. q. 4. pu. 9. n. 22. Tambur. 1. Decal. a. 3. § 4. n. 17. Illfing. tract. 1. disp. 1. a. 7. §. 2. n. 79. & communiter DD. Ratio est: quia ad id obligat tam lex charitatis, quam tacitum pactum cum ægrotò initum, ut omni meliori, ac securiori via pro-



spiciat ejus salutem, sicut est dictum in *num. 22*. Atqui hoc solum præstat applicandò probabiliora, & tutiora pharmaca, quando sunt in promptu; ergo. Quòd si occurrant plura remedia æqualiter probabilia, nec adsit aliquod probabilius, vel certum, Medicus applicare potest utrumlibet. Ratio est: quia hac ratione prudenter se gerit, omnique meliori modo, quo tunc potest, patientis salutem consulit. Tambur *cit.*

XXVII. Corollarium XVIII. Possunt sæpè graviter peccare, qui inserviunt, vel assistunt ægroto, quando relictis, quas Medicus præscripsit, medicinis, alias pro suo arbitrato adhibent quantumvis jam conclamato: vel poscenti vinum, aquam &c. præbent, ut ejus desiderio satis faciant. Villalobos apud Castrop. *n. 10*. Ratio est: quia sine necessitate, & ratione urgenti infirmum exponunt manifesto periculo mortis. Neque obstat, quòd aliunde supponatur certò brevi moriturus. Nam licèt hoc ita se habeat; at non est certum, æquè citò moriturum, si non bibat potum à te porrectum; vel non sumat tuam medicinam quàm si bibat, vel sumat. ergo intempestivâ tuâ misericordiâ saltem exponitur periculo moriendi citiùs.

## §. IV.

*Quam sententiam sequi possint, vel debeant Judex, & Advocatus?*

## SUMMARIUM.

28. *Quid hic judici tenendum in causis criminalibus?* 29. *Quid in civilibus?* 30. *Quid, si argumenta partium utrimque sint equalia?* 31. *Quid si partes sese vincant alternatim?* 32. *Advocatus licèt patrocinatur causa minùs probabili.*

XXVIII. Corollarium XIX. In causis criminalibus Judex amplecti potest, & debet opinionem minùs probabilem, quando hæc est in favorem rei. Ita docent etiam post Decretum Innoc.



Innoc. XI. Lumbier, Filguera apud Joan. de Cardenas *dissert.* 3. c. 3. n. 26. Sporer *de consc. probab.* c. 1. sect. 3. assert. 11. §. 3. n. 61. & Clarissimus P. Paulus Mezger hic a. 10. §. 3. n. 10. Ratio est: quia in his causis propriè locum habet illa regula juris: quòd *reo potius favendum sit, quàm Actori*, reo, inquam, qui propriè sic dicitur in criminalibus, ut notat Tambur. nam in civilibus ille, qui in jus arcessitur, propriè conventus appellatur. Accedit, quòd secundùm juris dispositionem in his causis ad condemnandum reum requirantur *probationes luce meridiana clariores*: sed tales non adsunt, quamdiù defensio rei adhuc manet probabilis; ergo. Unde, quando summa sedes damnavit hanc propositionem: *probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*, non est credibile, eam suum decretum extendisse ad minorem probabilitatem faventem reo in criminalibus: quia non est credibile, eam velle, ut quis ad certam pœnam capitis, exilij, vel alterius condemnatur ob crimen adhuc non certum, & de quo non est omninò convictus. Itaque reus Actore non demonstrante (inquit Laym. ubi suprâ n. 16. *ad finem*) absolvi debet, non quidem pronuntiando, ipsum innocentem esse, sed crimen de eo demonstratum non fuisse: atqui, dum ejus defensio est adhuc probabilis, actor non demonstrat; ergo.

XXIX. Corollarium XX. In causis civilibus, sive quæstio sit de facto, sive de jure, judex tenetur judicare secundùm sententiam, quæ omnibus inspectis est probabilior, jurique conformior. Th. Sanchez 1. *in Dec.* c. 9. n. 47. Laym. *loc. cit.* Tambur. ubi suprâ n. 5 & 9. Illung. a. 7. §. 3. n. 81. & alij. Ratio fundamentalis desumitur ex ipso officio judicis, qui ideo ceu viva lex, & jus animatum est constitutus à republica, ut inter partes litigantes procurer æqualitatem, & ferat sententiam secundùm merita causarum: ergo illi parti tenetur rem adjudicare, quæ habet majora



merita suæ causæ: sed evidens est, partem, quæ in iudicio pro se adducit argumenta fortiora, & probabiliora, majora habere merita suæ causæ, quàm partem contrariam; ergo secundùm illam tenetur iudicare, eique rem, de qua litigatur, addicere.

XXX. Corollarium XXI. Quando iudex omnibus pensatis existimat, neutram partem vincere, eò quòd afferant pro se argumenta æqualiter utrinque probabilia, non potest rem adjudicare, cui maluerit. Laym. Tambur. Illung. cit. Ratio est: quia iudex non potest salva æquitate inducere inæqualitatem, ubi jura partium sunt æqualia: atqui rem adjudicandò alterutri litigantium induceret inæqualitatem: quia uni tribueret totum, alteri, qui haberet æquale jus, omninò nihil. Accedit, quòd ferre sententiam pro Titio v. g. est affirmare, Titium in iudicio vicisse. Sed quomodo hoc affirmabit iudex sine palpabili mendacio, quando videt, Cajum colligantem fuisse Titio in probando æqualem? Vel itaque debet partes inducere ad compositionem; vel rem, de qua litigatur, inter litigantes dividere; vel, si res sit indivisibilis, eam dare uni cum obligatione, ut alteri secundùm æstimationem dimidij satisfaciat.

XXXI. Corollarium XXII. Si iudex non possit discernere, quænam pars habeat pro se rationes, & probationes efficaciores, eò quòd modò istæ, modò illæ appareant ipsi probabiliores, ita ut litigantes se probabiliter mutuò vincant, similiter censeo cum Villalobo, Coninck, & Suarez apud Castrop. *pu. r. o. n. 4.* & alijs, rem à iudice non posse adjudicari alterutri litigantium, sed esse dividendam, aut illis modis utrique satisfaciendum, quos in prioribus Coroll. adduximus. Ratio est: quia ideo ex ibidem dictis non potest rem uni adjudicare, quando constat probationes esse æqualiter probabiles, quòd jura partium sunt æqualia: sed etiam in hoc casu nostro jura partium sunt æqualia; ergo &c.

XXXIII.



XXXII. Corollarium XXIII. Advocatus licitè patrocina-  
tur causæ minùs probabili relicta probabiliori. Ita communissi-  
mè DD. Ratio petitur ex ipso officio Advocati: nam iste à repub-  
lica in hunc finem est constitutus, & repræsente pro suo cliente  
rationes judici, ex quibus, quid secundùm jura & æquitatem sit  
à se definiendum, cognoscat. atqui huic muneri satisfacit Advo-  
catus patrocinans causæ etiam minùs probabili; ergo. Confirm.  
Actor, cui assistit Advocatus, jus habet suam causam etiam minùs  
probabilem in judicio tuendi: ergo hoc idem licitè facit per Ad-  
vocatum: nam *hoc quis potest per alium, quod potest facere per se  
ipsum*: juxta regulam juris 68. in 6. ergo Advocatus nomine cli-  
entis, cujus est veluti vicarius per jura constitutus, licitè tueretur  
causam minùs probabilem. Neque sequitur, Advocatum hac  
ratione suadere judici, ut ferat sententiam pro causa minùs proba-  
bili, quod fieri sine peccato non potest à judice. Quia non est  
intentum Advocati, judicem inducere ad judicandum pro sua par-  
te, ut minùs probabili; sed solùm illi proponere momenta causæ,  
ut examinet, & videat, an possit pro ea justam ferre sententiam.  
nam sæpè contingit, ut probationes, & argumenta, quæ Advo-  
cato videntur minùs probabilia, à judice rem accuratiùs ponde-  
rante censeantur esse probabiliora, & validiora.

## §. V.

*An Judex reum condemnare possit ad mortem, quem priva-  
tâ scientiâ scit esse innocentem, dum per acta, & allegata publica  
probatu est nocens?*

## SUMMARIUM.

33. Varij modi, qui judici suppetunt, ejusmodi reum liberandi. 34. Re-  
feruntur potissimi Authores sententiarum & affirmantis, & negantis.  
35. Argumenta sententiæ negativæ. 36. Et affirmativæ. 37. 38. So-  
lutio reciproca argumentorum, & crisis utriusque sententiæ.

XXXIII.



XXXIII. **N**eminem judicem hactenus vidimus, qui decisione præsentis quæstionis indiguit, Suppetunt enim tot modi similem reum liberandi, ut nullum unquam tribunal in ejus, quam nunc agitabimus, controversiæ angustias conijci posse videatur. Nam primo judex statim in principio excogitare potest honestas, ac sufficientes rationes repellendi accusationem. Secundo. Expediit adhibere singularem dexteritatem in examinandis testibus, & quali usus est Daniel *Daniel. 15.* interrogandò subtiliter circumstantias loci, temporis &c. donec eos contradictionis convicerit. Tertio. Potest, si non sit timendum scandalum, esse minùs accuratus in custodiendo reo, eique occasionem præbere aufugiendi ex carcere. Quarto. Si sit judex inferior, & reum dictis modis liberare non possit, causam remittere debet ad judicem superiorem, & coram illo agere testem de ejus innocentia. Quinto. Judex Supremus potest uti potestate absoluta. Secundùm hanc enim princeps aliquando pœnam condonare potest etiam verè nocenti.

XXXIV. Data tamen hypothesi, in qua nulla supersit via innocentem liberandi, sunt duæ sententiæ capitaliter oppositæ, quidnam judici sit agendum? Prima contendit, judicem posse, ac debere ferre sententiam pœnæ legibus statutæ etiam mortis, si ita delictum, de quo reus convictus est, mereatur. Ita docent D. Th. 2.2. Q. 64. a. 6. ad 3. & quæst. 67. a. 2. Cajetanus, Bannez, Alexander de Ales, Sylvester, Richardus, Mart. Navarr. Covarruvias, Major, & alij, quos refert & sequitur Sayrus in *Clavi reg. lib. 12. c. 8. n. 13.* ubi hanc sententiam vocat verissimam, & in praxi sequendam. Eandem sententiam docent Filliuc. *tomo 2. tract. 40. c. 6. n. 107.* Th. Sanchez *lib. 6. Consil. c. 1. dub. 17.* & novissimè Illfung in *Theolog. pract. tract. 4. disp. 2. Q. 1. a. 6. §. 1. n. 28.* Secunda sententia negat, judicem posse dicto modo conde-



condemnare hujusmodi reum. Hanc tenent Adrianus, Angelus, Lyranus, Lessius, Petrus Navarrus, Coninck, & alij apud Bossium *Parte 1. tit. 1. §. 24. n. 798.* Deinde Bonac. *de leg. disp. 10. Q. 2. pu. 2. n. 2.* Laym. *lib. 3. de just. tract. 6. cap. 2. num. 8.* & moderni complures. Juvat ambas opiniones inter se committere, & quàm sint validæ, eductis utrimque argumentorum copijs, arbitrari.

XXXV. Itaque in favorem secundæ arguitur primo. Directè occidere innocentem est intrinsecè malum: ergo non licet. consequentia patet. quia quæ sunt intrinsecè mala, in nullo casu possunt esse licita: ut patet in mendacio, blasphemia, fornicatione &c. atqui judex condemnandò reum ad mortem, quem privatâ scientiâ novit esse innocentem, directè occidit innocentem; ergo condemnare non licet. Subsumpt. constat. nam & ipsa sententia judicis directè præcipit occisionem, & executio mortem directè infert. Arguitur Secundo. Da casum, in quo Semproniam coram judice Ecclesiastico per allegata & probata ostendatur esse legitima uxor Titij, judex verò privatâ notitiâ sciat, Semproniam non esse uxorem Titij. In hoc eventu judex neque licitè suadere, neque præcipere Titio potest, ut accedat ad Semproniam, eaque utatur ut conjuge: ergo nec licitè reum ad subeundam mortem condemnare potest judex, quem privatâ notitiâ scit esse innocentem, quomocunque demum per publicas probationes de crimine fuerit convictus. Conseq. prob. quia quàm est intrinsecè malum accedere ad non suam, tam est intrinsecè malum, iurisque naturæ adversum occidere innocentem: & quàm neque vult, neque potest Ecclesia cuiquam tribuere jus accedendi ad non suam, aut judici potestatem ad hoc quemquam adigendi, ita neque volunt, neque possunt ullæ unquam respublicæ, seu communitates judicibus tribuere potestatem condemnandi ad mortem

Dd

eos,



eos, quos ipsi privatâ scientiâ cognoscunt esse innocentes. Atque hinc arguitur Tertio, Judex certò sciens, se carere jurisdictione & auctoritate in reum non posset eum condemnare, licet per testes probaretur, reum esse sub jurisdictione ipsius: ergo nec potest in casu nostro. Patet conseq. quia ad justè condemnandum non solùm requiritur ex parte condemnantis jurisdictione, & legum auctoritas, sed etiam ex parte condemnandi crimen, & meritum pœnæ. Arguitur Quarto. Iniquum est occidere quemquam, in quem non habes auctoritatem; sed judex in hoc eventu occidit aliquem, in quem non habet auctoritatem; ergo mai. est certa. mi. prob. judex non habet auctoritatem in innocentem, sed solus Deus: ergo dum occidit innocentem, occidit aliquem, in quem non habet auctoritatem. Atqui occidit reverà innocentem, nam ille est reverà innocens, qui delictum non perpetravit, & à Deo nocens esse non cognoscitur: sed talis reus delictum non perpetravit, & à Deo nocens esse non cognoscitur; ergo est reverà innocens. Ergo judex occidit reverà innocentem. Arguitur Quinto. Ideo judex sequi debet notitiam publicam acquisitam ex probationibus, & testibus, ne in ferenda sententia aberraret à veritate. Ergo dum illæ probationes potiùs inducunt ad falsitatem, idque judici manifestè constat, sequi non potest notitiam publicam ex ipsis acquisitam. Atqui probationes in casu nostro inducunt ad falsitatem, idque judici manifestè constat, ergo. Arguitur Sexto. Si judex non peccaret condemnandò hujusmodi innocentem, sequeretur, etiam Pilatum non peccasse, dum condemnavit Christum Dominum. Sed hoc est absurdissimum, ergo. sequela mai. prob. nam & Pilatus judicavit secundum allegata & probata: quia Christus accusabatur à toto populo, atque adeò publicè reputabatur nocens. Neque dicas, Pilatum scivisse, quòd per invidiam tradidissent eum. Respondetur enim, scivisse id solùm scientiâ privatâ, quam in judicando non tene-



tenebatur sequi. Atque hæc sunt potissima argumenta secundæ sententiæ.

XXXVI. Nunc in favorem primæ arguitur primo ex *c. Pastoralis* §. *quia verò de offic. deleg.* ubi præcipit Innocent. III. ut iudex ordinarius mandet executioni sententiam, tametsi sciat, illam esse injustam. Ergo licet iudex reum privatâ scientiâ noverit esse innocentem, cum juxta allegata & probata condemnare teneatur. Arguitur Secundo, Iudex in iudicando gerit auctoritatem, atque personam publicam à communitate sive republica sibi impositam. Ergo quemadmodum iudicat, atque pronuntiat sententiam auctoritate, & potestate publica, ita etiam iudicare teneatur juxta scientiam publicam atque juridicam à communitate constitutam, & approbatam. Atqui juxta scientiam publicam & juridicam, quæ solùm habetur ex allegatis & probatis, reus est nocens, & morte dignus; ergo rectè & justè illum condemnat, reumque mortis pronuntiat. Arguitur tertio. Certum est, Deum ceu Dominum vitæ, necisque omnium potuisse humanis iudicibus concedere potestatem condemnandi ad mortem reos non modò verè nocentes, sed etiam innocentes in privata illorum scientia, si publicè atque juridicè probarentur nocentes: sicut Abraham concessit potestatem in vitam innocentis filij, eumque occidere præcepit. Atqui Deus hanc potestatem iudicibus actu concessit; ergo. *mi. prob.* illam potestatem Deus concessit iudicibus, quam in eis exigit salus, pax, & tranquillitas reipublicæ, bonique communis incolumitas. Sed talem potestatem esse in iudicibus ista exigunt; ergo Deus illam concessit. *mai.* colligitur ex fine auctoritatis, & potestatis publicæ iudicibus concessæ in reos, qui sanè non est alius, quàm pax & tranquillitas humanæ societatis, & conservatio boni communis. *mi. inde prob.* quòd non concessa iudicibus potestate procedendi secundùm allegata & probata contra reos quoscunque, etiam privatim cognitos innocentes, orirentur in populo maxima scandala, cum videret, ipsosmet legum cu-



stodes, ac vindices secundum leges non procedere, sed insuper-  
 habito ordine juris, publicè atque juridicè convictos de crimine  
 impunitos dimittere. Aperiretur præterea janua innumeris cor-  
 ruptionibus iudicum, qui prætextu privatæ scientiæ etiam verè sce-  
 leratos, mortemque meritos non condemnarent, si æquitas, ut  
 facilè contingit, post pecuniam haberetur. Unde leges certam  
 formam processuum criminalium præscribentes suo effectû, ac  
 fine omninò frustrarentur. Arguitur quarto. Non est ita in-  
 trinsecè malum, ut sibi persuadent Authores contrarij, etiam di-  
 rectè occidere innocentem, ut in nullo unquam casu sit licitum.  
 Sanè, qui interficit furiosum, vel ebrium, à quo invaditur, dire-  
 ctè interficit innocentem, idque licitè ad defensionem propriæ  
 vitæ. Cur ergo iudici non liceat directè præcipere occisionem in-  
 nocentis ad servandum ordinem juris, & formam publicam iudi-  
 ciorum, quibus neglectis salus, & incolumitas boni communis  
 stare non potest? Confirm. Licèt intrinsecè malum sit directè  
 occidere injustum aggressorem ex affectu vindictæ, non tamen  
 est intrinsecè malum, sed licitum talem directè perimere ex in-  
 tentione sequæ, suæque defendendi. Ergo similiter licèt intrinsecè  
 malum sit directè præcipere necem innocentis ex affectu nocen-  
 di, vitæque auferendi, non tamen erit intrinsecè malum, sed li-  
 citum, si iudex id faciat ex intentione debitè fungendi suo officio  
 publico, quod justè præstare non potest, si relictâ scientiâ publicâ  
 privatam notitiam de rei innocentia in iudicando sequatur. Ar-  
 guitur quinto. Licitum est secundum allegata & probata ferre  
 sententiam contra similem reum in causa civili: sicut fatentur  
 communiter Authores adversi: ergo etiam in causa sanguinis. Ita  
 pugnat prima sententia.

XXXVII. Ad argumenta illius, & quidem ad I. Respond.  
 c. *Pastoralis* hîc afferri omnino præter rem. quia non loquitur de

sen-



sententia mutilationis, mortis &c. sed alterius cujusdam poenæ Ecclesiasticæ, & quidem infligendæ à judice, qui est merus executor & non cognitor causæ. Ad II. conc. Ant. dist. conseq. ergo tenetur judicare juxta scientiam publicam in iis, ad quæ se extendit auctoritas & potestas publica à republica collata, conc. in iis, ad quæ se non extendit, neg. conseq. Atqui auctoritas & potestas publica judicis se non extendit ad occidendos reos, quos ipse novit innocentes. quia respublica, siye communitas nec voluit, nec potuit suis tribunalibus subijcere vitam & sanguinem innocentium. Et hinc patet ad reliqua. Ad III. omiſſa mai. neg. mi. in hujus probat. neg. rursus mi. quæ dum probatur, dico, periculum scandalorum non esse tam magnum, ut ibi exaggeratur. Et licet aliquando foret timendum, non tamen propterea occidendi essent innocentes. quia istorum occisio non est medium idoneum ad conservationem boni communis, uti nec fornicatio: quia quàm hæc, tam illa est intrinsecè mala. Adde ex Cardin. de Lugo, majus periculum creati reipublicæ à calumnijs falsorum testium, qui innocentem accusant, quàm à judice illum condemnare nolente. Quod subijcitur de corruptis omnibus judicium, pariter non urget. Cum enim judici contra probationes publicas asseveranti reum esse innocentem, non credatur in foro externo, nisi id probet; sed potius puniri debeat propter justitiæ ordinem non servatum, nunquam audebit tantum subire periculum, nisi ad id stimulante conscientia, dum nempe novit, reum esse innocentem. Ad IV. neg. parit. quia vim vi repellere jus naturæ omnibus concessit. Hinc etiam directa occisio hominis est licita, quando non suppetit alia ratio vitam propriam defendendi. Neque refert, quòd me invadens fortè non peccet formaliter: nam invasio ipsa injusta est materialiter, & ego occido nocentem mihi. Atqui directa occisio innocentis semper est jure naturæ prohibi-



hibita. Ad Confirm. conc. Ant. neg. conseq. quia condemnatio innocentis ad mortem non est modus licitus, vel necessarius, ut iudex debitè fungatur suo officio: imò malè & contra intentionem reipublicæ fungeretur suo officio, si innocentem condemnaret. Atqui directa quoque occisio iniusti invaloris est modus iure naturæ licitus, & medium unicè necessarium ad defensionem propriæ vitæ. Hinc tamen non sequitur, iudicem contra scientiam publicam posse, vel teneri iudicare secundùm notitiam privatam, reùmque absolvere. nam debet à ferenda sententia penitè abstinere, & vel officiò se abdicare; vel aliud incommodum in re familiari subire; imò & in persona potiùs, quàm ad condemnationem talis innocentis devenire. Ad V. conc. Ant. neg. conseq. & parit. quia propter frequentiam causarum civilium bonum commune potuit exigere, ut cives privato iure in bona fortunæ cederent in simili casu, idque per leges positivas constitui, ne turbaretur ordo tribunalium, & tranquillitas publica, si processus iudicis privatæ iudicium scientiæ postponeretur. Atqui in causa sanguinis, casûque moraliter vix possibili, qualis est præsens, bonum commune non potest exigere tam ingens, & irreparabile damnum innocentis: ut constat ex dictis.

XXXVIII. Nunc argumenta secundæ quoque sententiæ placet dissolvere. Ad I. Respond. dist. ant. directè occidere innocentem tam iudicè quàm Theologicè est intrinsecè malum, conc. innocentem Theologicè, non innocentem, immò nocentem iudicè, neg. ant. & dist. conseq. ergo non licet occidere innocentem tam iudicè, quàm Theologicè conc. innocentem Theologicè, non innocentem iudicè neg. conseq. Atqui reus, de quo disputamus, quamvis Theologicè, sive in foro conscientiæ sit innocens, idque iudex privatâ scientiâ cognoscat, non tamen est innocens, immò est nocens iudicè, sive in foro externo propter allegata & probata



ra publica, idque iudex cognoscit scientiâ publicâ, & ut persona publica. Ad II. conc. Ant. neg. conseq. & paritatem, Disparitas est: quòd Titius non agat personam publicam, sed privatam, adeoque non scientiam publicam, sed solum privatam in operando sequi possit, ac debeat. Quare iudex suadendò vel præcipiendò accessum ad Semproniam suaderet, vel præciperet actionem contrariam veritati privatæ, quam tamen Titius ceu persona privata in operando sequi unicè tenetur. Atqui iudex ut iudex agit personam publicam, & tenetur in iudicando sequi notitiam publicam, sive acquisitam ex actis, allegatis, & probationibus publicis. Et hinc patet ad probationem consequentiæ. Sanè si tam esset intrinsecè, & indispensabiliter malum directè occidere innocentem, quàm est intrinsecè malum accedere ad non suam, illud neque DEUS posset præcipere: quod dici non potest. Ad III. conc. ant. neg. iterum conseq. & paritatem. Nam iudex carens jurisdictione in reum etiam iudicè convictum, si eum condemnaret, non condemnaret ut persona publica, sed ut privata. Atqui in casu nostro & habet jurisdictionem, & reum de crimine iudicè convictum. Unde nihil deest sive ex parte condemnantis, sive ex parte condemnandi, ut iustè feratur sententia. Nam licèt in reo non inveniatur crimen re ipsa perpetratum, est tamen de ipso iudicè demonstratum. Ad IV. conc. mai. neg. mi. adhuc probat. dico, soli quidem DEO competere auctoritatem in vitam innocentis tanquam supremo Domino, ac iudici, eam tamen pro casu nostro ab ipso concessam esse etiam iudicibus sibi subordinatis: sicut ostensum est. Illa, quæ deinde dicuntur in argumento, probant, iudicem neque posse condemnare innocentem, quem ipse invincibiliter ignorat esse innocentem, licèt iudicè probatus sit nocens: cum nec iste delictum perpetraverit, aut esse nocens à DEO cognoscatur. Ad V. dico, duplicem in mente iudicis posse  
dari



dari veritatem, privatam nimirum, & publicam, sive juridicam, quæ sumitur ex testibus & probationibus. Jam verò respublica & bonum commune unicè vult, ut iudex in iudicando semper sequatur veritatem publicam, & consequenter vult, ut procedat secundùm notitiam publicam, ne aberret à veritate publica. Probationes autem in nostro casu non inducunt ad falsitatem oppositam veritati publicæ; immò hanc demonstrant. Ad VI. neg. seq. mai. cum sua probat, quia Christus Dominus erat innocens non solùm re ipsa, & in privata notitia Pilati, sed etiam famâ atque scientiâ publicâ apud omnes probos & sapientes. Sanè Pilatus ipse, auditis accusationibus, & examinatis testibus, pronuntiavit, se nihil in eo morte dignum invenire: quia nempe, sicut referunt Evangelistæ, non erant convenientia testimonia illorum. Unde sententiam minimè tulit secutus scientiam publicam, quæ nulla fuit, sed adactus metu Cæsaris. Adde, quòd miser ille iudex per examen accuratius testes facillimè falsitatis potuisset convincere: vel totam causam ad superiorem remittere. Ambæ sententiæ hactenùs expositæ sunt probabiles. Negativa juri naturæ videtur conformior, Affirmativa auctoritate veterum Doctorum, præsertim D. Thomæ, præponderat. Quòd si hanc placeat sequi, idem, quod dictum est de iudice, tenendum est etiam de carnifice, & alijs ministris sententiam exequentibus. nam & illi possunt eam exequi contra reum, quem privatâ scientiâ sciunt esse innocentem, quando secundùm allegata & probata publica legitimè est condemnatus, de quo videatur Cardin. de Lugo

*tomo 2. disp. 37. sect. 4. n. 48.*

CA.



CAPUT V.

DE CONSCIENTIA  
SCRUPULOSA.



Hæc umbra potiùs Conscientiæ dici meretur, quàm Conscientia. Sed quoniam instar horribili spectri multis in via salutis occurrere, terròremque solet incutere, operæ pretium est, larvam importunæ grassatricis breviter detrahere. Itaque scrupulus, à quo conscientia vocatur scrupulosa, est inanis quædam suspicio ex levi vel nullo fundamento proveniens, conjuncta cum anxietate animi, ac formidine, vel credulitate, quòd subsit alicubi peccatum, ubi nullum subest. Scrupulosus est, qui levi ejusmodi suspicione agitur. Porro scrupulus non solum potest esse de peccato præsentis, sed vel maximè de præterito, & futuro. De præsentis: ut si ex levissimo motivo credas, te hic & nunc illicitè sumere S. Eucharistiam. De præterito: ut si ex simili fundamento suspiceris, te consensissetentationi, non recitâsse aliquam horam &c. De futuro: ut si inaniter tibi persuadeas, te esse obligatum ad repetendam aliquam horam, ad iterandam confessionem, vel ad omittendam celebrationem sacrificij &c. Modò de scrupulorum causis, signis, ac remedijs breviter differendum. Cui placet prolixior similium tractatio, is legat Bossium *parte 3.* & egregium libellum Josephi Rossell. Carthusiani *de praxi deponendi consc.* Inveniet in illis, quidquid in hac materia poterit desiderari.

Ec

AR-



## ARTICULUS I.

*De Causis, Signis & remedijs generalibus scrupulorum.*

## SUMMARIUM.

1. *Causæ scrupulorum intrinsecæ.* 2. *Et extrinsecæ.* 3. *Varia signa scrupulorum.* 4. *Afferuntur octo remedia scrupulorum generalia.*

**I.** **C**ausæ, siue radices scrupulorum intrinsecæ aliæ sunt ex parte animæ, aliæ ex parte corporis. Ex parte animæ sæpè est Primo inflexibilis quædam proprii iudicij tenacitas, & superba pervicacia, qua monita prudentium respuuntur, eorumque consilijs non acquiescitur. Et hæc radix est omnium periculosissima: nam difficillimè, qui ex hoc capite evadunt scrupulosi, curantur. Secundo est nimius amor sui ipsius, ex quo fit, ut quis cautelâ nimis immoderatâ fugiat quæcunque peccata metu pænæ post hanc vitam sustinenda. Hinc maxima Sollicitudo, perturbatio, anxietas, & demum mille scrupuli. Tertio Ignorantia, ob quam quis nescit distinguere iudicium practicum à speculativo, tentationem à consensu, culpam, & obligationem levem à gravi &c. Ex parte verò corporis scrupulos generare solet temperamentum cum excessu melancholicum, quod est timiditatis, ac suspicionum seminarium. Deinde læsio potentiaæ imaginativæ: quando enim ista suo officio non ritè fungitur, sæpè intellectus apprehendit ut mala, & illicita, quæ talia non sunt.

**II.** His accedunt causæ scrupulorum extrinsecæ. Prima est Deus ipse, qui non rarò in pœnam certi peccati, præsertim superbiæ, vel ob majus bonum virtutis, & incitamentum ad perfectionem finit hominem esse scrupulis obnoxium. Secunda est malus Dæmon: hic enim, ut tædium virtutis ingeneret homini, cùmque



cúmque à multis bonis impediatur, immò in desperationem demum præcipitet, scrupulos non rarò immittit, & leves quaslibet obligationes, earúmque transgressiones immensùm exaggerat. Tertia est conversatio, & familiaritas cum scrupulosis: nam habet hoc omnis societas, ut sua sive bona sive mala reddat socijs communia. Quarta est lectio librorum, in quibus præcepta DEI, & Ecclesiæ cum nimio rigore ubique in severiorem partem exponuntur, prætermittitur interpretatio benigniori, & rationabili epikia. Huc pertinet usus Confessarij, & directoris scrupulosi: nam talis non rarò scrupulos, quibus ipse laborat, etiam conscientijs subditorum insemnat. *Lege Sayr. in Clavi. Lib. 1. cap. 14. Laym. de Consc. scrup. cap. 6. n. 1. Tambur. l. 1. in Dec. cap. 3. §. 8. n. 1.*

III. Cæterùm generale signum scrupulosi hominis est, si quis deprehendatur vel in una aliqua materia, vel in pluribus crebrò suspicari, vel timere, ne peccet, aut ne peccaverit, idque sine rationabili causa, & ubi nullum subest peccatum. Alia plura scrupulorum indicia afferunt Busenbaum *lib. 1. c. 3. Joseph. Roscellus de praxi deponendi conscientiam c. 11.* ut: si quis de rebus etiam certis, notis, & ipsi hæc hactenùs indubitatis frequenter dubitet. Si post auditum viri docti & probi consilium necdum sit animò compositò, sed alium, & alium consulat, nullius tamen monitis acquiescat. Si ex levi apparentia crebrò varietur iudicium de aliqua re v. g. de lecto, vel non lecto aliquo psalmo, versu &c. in recitatione breviarij. Si illa, quæ antea non habebat pro peccatis, modò habere incipiat. Si peccata, quæ jam semel fuit ritè confessus, identidem in confessione reperat, quasi ea prima vice non satis exposuisset, vel de illis non sufficienter doluisset &c. Si agat perturbatè, inconstanter, & cæco quodam modo in externis operibus versetur, eaque nunc intermittat, nunc iterum resumat &c. Si occurrente alicujus præcepti executione v. g. recitatione hora-



rum, ita sit anxius, atque perplexus, ut pænè reddatur ineptus & amenti similis. Si miris modis, exoticis gestibus, & extraordinaria cautela peccata, & quasvis leves imperfectiones fugiat: v.g. suspirando, percutiendo pectus, signando se cruce, in cælum suspirando.

IV. Inter generalia Scrupulorum remedia Primum, & omnium præsentissimum, immò maximè necessarium est, ut scrupulosus, si liberari ab hac sua miseria velit, se penitèns subjiciat directioni, & consilio Confessarij, vel alterius viri docti, & probi paratus illius monitis atque judicio profusè acquiescere. Nam si aliter sit animò comparatus, & Confessario non verè obediat in operando, nec conetur obedire, omnis alia opera frustra in eo curando consumitur. Et ideò dixit Valent. apud Tambur. ubi supra, hoc primum remedium continere omnia remedia scrupulorum. Quod vel maximè verum est, quando scrupulositas ex prima radice, quam in num. I. attulimus, fuit exorta: nam frangi ante omnia debet proprij judicij pervicacia, quod fieri non potest, nisi quis alieno judicio se totum in operando subjiciat. Hoc autem factò, cætera remedia suam efficaciam facillimè exerunt. Neque existimet scrupulosus, se versari in periculo peccandi, dum contra suum judicium in omnibus sequitur judicium alterius: debet enim credere certissimè, Confessarij, vel alterius viri probi & docti consilium respectu scrupulosi facere sententiam probabilem: immò opinionem Confessarij ex se minùs probabilem in concursu scrupuli, & respectu scrupulosi ob pericula, quæ secum trahunt scrupuli, fieri probabiliorem, ac securiorem: ergo licitè, honestè, & citra ullum periculum peccandi formaliter, relicto proprio judicio, & contra scrupulum se sententiæ Confessarij in operando conformat.

Secundum remedium est obstare principijs, & scrupulum, quam-



quamprimùm se menti insinuat, instar impuræ tentationis repellere, & conversis ad alia objecta cogitationibus, animosè contemnere: nam & hîc est in mora periculum: & quantô diutiùs cogitandô volvitur scrupulus, tantô magis invalescit, & imprimitur animo: ex quo fit, ut deinceps difficiliùs expellatur. Expediit proinde, scrupulosum nunquam vacare à negotijs, ne scrupulos ruminandi, & examinandi tempus suppetat. Laym. *loc. cit. n. 2.*

Tertium est operari contra scrupulum: hoc enim non modò licitum, sed etiam laudabile, immò quandôque necessarium esse, docent communiter DD. Sayr. *loc. cit. n. 1.* Th. Sanchez. 1. *Dec. cap. 10. à n. 80.* & alij passim. Atque id quidem licitum est: quia cum scrupulo, qui vel nullo, vel levi solùm fundamento nititur, stat optimè dictamen certum conscientia de honestate actionis illi opposita. Est laudabile: quia omnes sapientes judicant, inanes ejusmodi, ac frivolas dubitationes esse penitus extirpandas: quod expeditissimè fit, dum agendô contrarium illis obviam itur. Est insuper necessarium: quia sæpè contingit, ut scrupuloso grave damnum ex suis anxietatibus, & perplexitatibus immineat, si non agat contra illas. Itaque si scrupulus dicitur, repetendam esse confessionem, eò quòd aliquam circumstantiam omiseris, noli repetere. Si dicitur, exspuendô in terram te peccare, exspue sæpiùs de industria.

Quartum est, ut scrupulosus sibi proponat exemplum aliorum hominum proborum, sibi que persuadeat, eorum vitam, agendique consuetudinem posse cæteris esse vivendi regulam. Quare quod illi agunt sine formidine peccati, vel licitè posse agi existimant, à se quoque posse licitè agi arbitretur. Sylvester verbo *Scrupulus q. 4.* Laym. *loc. cit.* Quòd si scrupulosus sit vir doctus, etiam se ipsum sibi repræsentet, qualem se nempe gereret,



si de simili casu consuleretur ab alijs, & consilium, quod daret se consulentibus, sequatur ipse. nam frequenter contingit, ut ejusmodi viri sint alijs clementes, ac lenes, sibi ipsis verò nimium rigidi.

Quintum est, ut, quando dubitat scrupulosus, an id, quo angitur, sit scrupulus, vel verum dubium? judicet, esse merum scrupulum. Habet enim hoc præsumendi, ac judicandi sufficiens fundamentum, quòd sciat, se esse scrupulosum; ergo jam habet opinionem probabilem, vexari se solùm scrupulo: atqui illam opinionem licitè sequitur; ergo licitè credit, id non esse verum dubium, sed scrupulum, atque ut talem à se prudenter deponi. Bonac. *Disp. 2. de pecc. q. 4. pu. 8. n. 3.*

Sextum est, ut, quando scrupulosus est talis ex causa naturali, ejusmodi causa tollatur. Nam causâ sublatâ tollitur effectus. Unde si scrupulositas fuit orta ex complexione melancholica, vel abundantia humorum, sumat pharmaca, utatur honestis recreationibus, & consortio hilarium amicorum; caveat tamen societatem scrupulosorum, ne magis inficiatur. Sylvester *q. 4.* Bonac. *loc. cit.* Tambur. *n. 11.*

Septimum est, ut de æterna beatitudine, de bonitate, de misericordia, & amabilitate DEI frequenter discurrat, ac meditetur, aliisque similibus occupetur, quæ cum ad fiduciam in Deo colloendam, tum ad tranquillitatem animi conducunt. Illa autem, quæ terrorem incutiunt, metumve ingerunt v. g. extremi judicij, vel inferni, penitens & legere & meditari omittat. Similiter à lectione Authorum rigidiorum prorsus abstineat.

Octavum est crebra oratio cum ipsius scrupulosi, tum aliorum pro ipso, ut Deus, qui lux est, & fons omnis sapientiæ, illustret gratiæ suæ radijs caligantem intellectum, & funestas scrupulorum tenebras, ab ipso Dæmone, fortè inductas, dispellere dignetur

ARTI.



ARTICULUS II.

*De remedijs particularibus, & Confessario  
scrupulosorum.*

SUMMARIUM.

- I. *Quomodo curandi sint scrupuli de consensu tentationibus præstito ? 2. Quomodo scrupuli de confessionibus præteritis ? 3. Quomodo scrupuli de recitatione Breviarij ? 4. 5. 6. Monita ad Confessarium Scrupulosi. 7. Quomodo tractare oporteat scrupulosos laxæ conscientia ?*

I. **Q**uidam anguntur plurimum ex dubitatione, an alicui tentationi v. g. blasphemia, infidelitatis, impudicitia &c. Con-  
senserint, atque adeo mortaliter peccaverint ? Tales, si sint timo-  
rata conscientia, & ob merum offendendi Deum patiantur scru-  
pulos, debent judicare, atque præsumere, quod non consente-  
rint. Ita præcipiunt communiter DD. Ratio est : quia scrupu-  
losus nunquam debet judicare, se peccasse mortaliter, nisi id cer-  
tò etiam sine ulteriori examine videat. Laym. ubi supra. Tambur.  
n. 7. & alij. Nam peccata mortalia sunt seipsis tam manifesta ti-  
moratis conscientijs, ut ea primo statim aspectu deprehendant :  
atqui in casu nostro scrupulosus non videt certò, se peccasse mor-  
taliter ; ergo non debet hoc judicare. Oportet proinde scrupu-  
losum ab omni sui examine circa assensum tentationibus præsti-  
tum abstinere : quia non est sufficiens ad rationes, quæ fortè oc-  
currunt, debite expendendas, eò quod etiam maximè leves ac  
frivolæ ipsi appareant gravissimæ, & quantò accuratiùs pergit  
omnia discutere, tantò profundius alijs atque alijs anxietatibus  
implicetur. Castrop. p. 2. n. 2. Illung tr. 1. disp. 1. a. 5. n. 3.

II. Alije contra molestissimè vexantur propter confessiones  
præteritas, putantque, se nunquam rectè, atque integrè fuisse  
confessos :



confessos: vel quòd numerum, aut circumstantias peccatorum non satis explicaverint; vel quòd non sufficienter de peccatis doluerint, eaque emendandi proposito efficacem non elicuerint. Hinc omnes illas confessiones volunt repetere novásque generales de tota vita instituire. Hujus generis scrupulosus confessiones præteritas nullo modo debet repetere, aut confessionem generalem instituire; sed certò credete, quòd rite fuerit confessus, quando ad hoc vel ex suo, vel Confessarij probabili judicio visus est mediocrem saltem diligentiam adhibuisse. Ita DD. citati, & alij passim. Ratio est: quia non minùs à præcepto confessionis excusat manifestum periculum magni mali, vel grave incommodum alioquin obligatos, quàm ab alijs præceptis: ergo tametsi scrupulosus antecederet fortè non implevisset præceptum confessionis vel tacendò aliquam circumstantiam, vel non satis dolendò &c. ab illo per repetitionem earum confessionum implendo excusatur propter gravia incommoda, magnasque anxietates exinde de novo secuturas. nam fac, scrupulosus confessiones priores repetere, vel generalem instituire, dubitabit de hac novissima confessione iterum, & angetur scrupulis, an & ipsa sit facta cum sufficienti dolore, debito examine &c. atque adeò in novum labyrinthum priori intricatiorem conijcietur. Castrop. n. 4. Illung. loc. cit. Tambur. n. 8. Et ideò rectè dixit Emmanuel Saa verbo *dubium* n. 5. Scrupulosum non teneri fateri, nisi quæ potest jurare & fuisse peccata mortalia, & se nunquam fuisse confessum.

III. Sunt præterea quàm plurimi, qui graves patiuntur scrupulos in recitando Breviario, ac proferenda forma Sacramentorum: dum existimant, se absque debita intentione, vel attentione recitasse, verba protulisse, vel ea non integrè protulisse, &c. Hinc nullus apud eos finis de novo recitandi, & pronuntiandi.

Qui



Qui ita sunt constituti, debent & ipsi unicè sequi consilium viri docti, & probi, & quidquid hic iudicat ad implendum præceptum sufficere, fideliter amplecti: nam ipsi in scrupulorum tenebris non sunt apti, ut, quid agendum, vel non agendum sit, perspiciant. Ab alio proinde se regi ac duci instar cæcorum sinant, necesse est. Non credant, se quidquam omisisse in recitatione Breviarij, licet non penitus certi sint de aliqua hora, vel psalmo recitato, modò sibi sint conscij de sua consuetudine horas aliàs integrè recitandi. Accedit, quòd ejusmodi homines hoc ipsum magnò studiò sollicitè caveant, ne, dum recitant, quid omittant. quomodo ergo est credibile, eos quidquam omisisse? Ad intentionem quod attingit, sibi persuadeant, satis esse virtualem, vel exercitam: qualis est, dum Breviarium in manus accipiunt, & recitare incepturi cruce se signant, ita dispositi, ut interrogati, quid hîc & nunc agere vellent? responderent, se obligationi recitandi horas velle satisfacere. Clariss. P. Paulus hîc §. 2. n. 11. Cæterùm distractiones inter recitandum non existiment graviter obesse, nisi cum plena advertentia, datâque operâ mentem ad alia diverterint. Ita citati.

§. IV. Confessarius ante omnia adhibere debet diligentiam, ut cognoscat, an & in quibus suis pœnitens sit verè scrupulosus. nam prima medici cura est, nôsse & morbum, & statum morbi in ægrotante, atqui Confessarius respectu scrupulosi se habet ut medicus; ergo. Id autem non difficulter cognoscet ex signis Scrupulorum, quæ supra attulimus. Deinde exigat à scrupuloso, ut spondeat, se velle stare in omnibus judiciò sui Confessarij, ejusque consilijs penitissimè obsequi. nam secus lavabit Æthiopem, & omnem medelam applicabit incassum. Obtenta hac asseratione curet, ut scrupulosus remedia hætenùs præscripta deducat in praxin. Et ideò seriò illi inculcet obligationem agendi

Ff

contra



contra scrupulos, eosque deponendi ex iudicio Confessarij, propter gravissima damna, quæ tam salutis animæ, quam corporis solent accersere scrupuli. Consulatur cordatè, & citra hæsitationem resolutè. nam alioquin etiam pœnitens animadvertens eam Confessarij fluctuationem in parendo hæsitabit. Monet præterea Tambur. n. 16. ne consilij sui rationes, ac motiva scrupuloso regulariter manifestet, cùm constet experienciã, majores inde scrupulos ejusmodi hominibus advenire: quippe, qui difficillimè à rationum sibi datarum examine, cui tamen pares non sunt, solent abstinere.

V. Præterea dubia explicet in meliorem partem, atque in favorem ipsius scrupulosi, veluti suadent Th. Sanchez. 1. Dec. c. 10. n. 84. Bonac. ubi suprã. Tambur n. 14. & alij. Ratio est: quia contra scrupulum, qui levissimò nixus fundamentò omnia in majus extollit, stat præsumptio, atque adeò contra ipsum debet judicari in favorem scrupulosi possidentis suam libertatem; quia ejus conditio est melior, non minùs, quàm in dubio. Hinc si scrupulosus dubitet, an peccaverit, vel peccatum commissum fuerit confessus? nec permittat eum ulteriùs examinare conscientiam; nec ejusmodi peccata dubia confiteri. Quòd si scrupulosus credat credulitate quantumvis levi, se non commisisse aliquod peccatum &c. habeat pro certo, illum non commisisse; quia hujusmodi credulitas in scrupuloso æquivalet certitudini morali. Bonac. loc. cit. Minutiores quoque interrogationes, & quæ fortè in alijs pœnitentibus ad dignoscendas peccatorum species forent necessariæ, prætermittat. Tambur. cit.

VI. Persuadeat scrupuloso, ut nihil habeat pro peccato mortali, nisi certissimè sciat esse tale, sive agatur de peccato præterito, sive de futuro; immò nisi audeat jurare, esse peccatum mortale, illudve commisisse. Quin etiam quandoque  
scrup.



scrupulis nimis absorpto non credat, tamen paratus foret jurare, se commisisse, vel non fuisse confessum: quia compertum est, ejusmodi homines tam esse obstinatos, ut auderent jurare, dummodò Confessarius permetteret confessionem priorem repetere: quod facere nequiquam debet, licet rogetur importunissimè. Bossius *p. 3. tit. 1. §. 54. à. num. 2078.* qui, quod hìc dictum de mortalibus, etiam extendit ad peccata venialia. Non sinat illum multa loqui de suis scrupulis, & si velit eos etiam extra confessionem proponere consilij capiendi gratiâ, discursum abrumpat, ac sermonem avertat aliò. Quin immò conantem suas dubitationes aperire debet quandoque asperè reprehendere, & ne aperiat, vel confiteatur, deterrere: nam oportet hìc uti medijs non modò dulcibus, sed etiam amaris. Bonac. ubi suprà.

VII. Cæterum nonnulli sunt scrupulosi laxæ conscientiæ, & solum anxij de peccatis commissis, an nempe illa ritè fuerint confessi? de committendis autem incurij, immò ad illa faciles. Tales, ut videtur Sylvestro verbo *scrupulus*, sunt æternæ damnationi propinqui. Et quidem ejusmodi difficulter curantur. Neque aliud ferè remedium pro illis suppetere videtur, quàm ut à Confessario ad DEI timorem, ad crebras confessiones, ac communionem adducantur. Tambur. *n. 17.* Nihilominus, si sint verè scrupulosi, non debent tractari severè, ut alij pœnitentes in peccata effrænes; sed possunt cum eis remedia hætenus præscripta benevolè, & prout prudentia dictaverit, discretè communicari: Bonac. cit. & alij passim. secus enim, si habeantur asperius, facile propter molestiam, quam in sui correctione percipiunt, & propter laxitatem conscientiæ, qua laborant, omnem Confessarij curationem (ut dicit Tamburinus) diffugient, peribuntque.





# PAREGA EX SUM- MA S. THOMÆ.

## EX I. PARTE.

1. **T**heologia est vera & propriè dicta scientia. 2. Et habitus en-  
titativè supernaturalis. 3. Ejus objectum formale quod est  
DEUS ut virtualiter revelatus. 4. Essentia Metaphysica DEI  
consistit in intellectu actualissima à se existente. 5. Inter Divi-  
nas Perfectiones non datur distinctio Scotistica. 6. Sed virtualis in-  
trinseca, qua est fundamentalis rationis. 7. Creature sunt DEO  
physicè presentes in eternitate. 8. S. P. Benedictus in hac vita pro-  
babiliter DEUM clarè vidit. 9. Implicat intellectus creatus, cui vi-  
sio DEI sit connaturalis. 10. Et species tam impressa. 11. Quàm ex-  
pressa creata in visione beata. 12. Per nullam potentiam DEUS vi-  
deri potest sine lumine gloriæ. 13. Nihil futurum est ante omne  
decretum DEI. 14. Et ideo non datur scientia media. 15. DEUS  
amat creaturas possebiles. 16. Libertas est ejus voluntati adequatè  
intrinsicca. 17. Divina decreta sunt intrinsicè, & physicè efficacia.  
18. Electio ad gloriam est omnino gratuita. 19. Implicat creatu-  
ra rationalis ab intrinsicco simpliciter impeccabilis.

## EX II. PARTE.

1. **H**omo non potest efficaciter appetere simul duos fines ultimos ad-  
equatos. 2. Beatitudo formalis formaliter consistit in sola vi-  
sione.



sione DEI. 3. Voluntarium sine omni actu potest. 4. Et non potest dari. 5. Non datur actus humanus indifferens in individuo. 6. Formale peccati consistit in privativo. 7. Peccatum mortale habituale est formaliter privatio gratiae sanctificantis. 8. Veniale per accidens punitur poenâ eternâ. 9. Non potest consistere cum solo originali. 10. Promulgatio est de essentia legis. 11. Ad finaliter perseverandum justus indiget gratia speciali. 12. Gratia sanctificans est formalis & physica participatio Divina natura, ut natura est. 13. Non vero quatenus est infinita. 14. Constituit hominem se sola filium adoptivum DEI. 15. Stare non potest cum ullo peccato mortali. 16. Est unica causa formalis nostrae justificationis etiam de potentia absoluta. 17. Omnes adultirationis compotes accipiunt gratiam sufficientem. 18. Gratia efficax est talis intrinsecè ac physicè. 19. Consistit in praedeterminatione physica. 20. Prima gloria, non autem prima gratia cadit sub meritum de condigno. 21. Repugnat, idem esse simul scitum & creditum. 22. De fide est, Innocentium XII. esse Vicarium Christi. 23. Is, cui revelata esset sua aeterna damnatio, licitè desperaret. 24. Non datur formalis justitia commutativa in DEO versus hominem. 25. Nec in homine versus DEUM. 26. Implicat dominium duorum ejusdem rei in solidum. 27. Clerici sunt domini reddituum Ecclesiasticorum etiam superfluatorum.

### EX III. PARTE.

1. **P**eccatum mortale in ratione offensa est solum infinitum secundum quid. 2. Christus non venisset, si Adam non peccasset. 3. Satisfactio & merita Christi erant valoris simpliciter infiniti. 4. Satisfactio fuit insuper secundum omnem rigorem justitiae. 5. Unio Hypostatica non est modus. 6. Eam Christus mereri non potuit. 7. Meruit autem Maternitatem Bmæ Virg. 8. Repugnat meritum compensativum. 9. Christus fuit simpliciter impeccabilis.

Ff 3)

10. Libere



10. Liberè tamen implevit præceptum moriendi. 11. Meruit per actum dilectionis simul liberum & necessarium. 12. Omnia Sacramenta novæ legis ex rebus & verbis intrinsecè constituuntur. 13. Sunt causa morales & physica gratia. 14. Ad validam confectio- nem Sacramenti requiritur in ministro intentio faciendi Sacramen- tum formaliter. 15. Aqua vino mixta non convertitur immediatè in sanguinem Christi. 16. Pœnitentia est virtus specialis. 17. Potest absolutè remitti adulto peccatum mortale proprium sine ullo actu proprio. 18. Non tamen per meram condonationem extrinsecam. 19. Aut unum sine altero. 20. Non datur Sacramentum Pœniten- tiæ validum & informe. 21. Intrinsecè probabilius est, moribun- dum omni signo doloris destitutum non posse absolvi etiam sub con- ditione. 22. Inter Beatissimam Virginem & S. Josephum fuit verum matrimonium.

Omnia ad majorem DEI, Deiparæ-  
que honorem, & gloriam.



























Faint, mostly illegible text in the upper left quadrant of the page.

Faint, mostly illegible text in the middle left quadrant of the page.

Faint, mostly illegible text in the lower middle left quadrant of the page.

Faint, mostly illegible text in the lower left quadrant of the page.

Faint, mostly illegible text in the upper right quadrant of the page.

Faint, mostly illegible text in the middle right quadrant of the page.

Faint, mostly illegible text in the lower right quadrant of the page.







Baben  
huber  
Regula  
merita

Th  
2141